13
25 H
25

Digitized by Google

PETRI ANGELII BARGAEI

Commentarius de Obeliſco

AD

SANCTISS. ET BEATISS. D. N. D.

XYSTVM V. PONT. MAX.

Huc acceſſerunt aliquot Poetarum carmina, quorum partim ad idem argumentum, partim ad eiuſdem Summi Pont. laudem pertinent.




BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

CVM PRIVILEGIO ET AVCTORITATE SVPERIORVM.

ROMÆ, Ex Officina Bartholomæi Graſsij. 1586.

BIBL. SS. IO. & PA. DE URB.

Hanc molem viſu (vetus eſt ea fama) recepto
Sacrauit Soli Solis in Vrbe Phero.
Mox Vrbem in mediam naui per cærula vectam
In Circo voluit Caïus eſſe ſuo.
Poſtremo Xyſtus diuulſam è ſede priore
Hanc tulit in ſedem, ſuppoſuitq; Cruci
Mentibus vt cæci diſcant, hinc eſſe petendum,
Quod queat ad cœlum pandere lumen, iter.


SANCTIS SIMÆ CRVCI
SAC RAVIT
XYSTVS.V. PONT.MAX.
E PRIORE SE DE AVVLSVM
ET CÆSARIB AVGVSTO ET TIB.
I.L. AB LATVM

SANCTISSIMO
AC BEATISSIMO
D. N. D. XYSTO V.
PONT. MAX.

PRÆCLARVM *illud eſt, Beatiſſime Pater, & omni laude digniſſimum, quod Plato lib. v. de Rep. ſcriptum reliquit; Ciuitates tum demum felices & perbeatas fore, cum aut in ijs Philoſophi dominarentur, aut, eas qui regunt, philoſophari ſic inciperent, vt vnam eamdemq; & philoſophandi & imperandi rationem eſſe cenſerent. Nam philoſophia cum animum excolat, & ad benè beateq; viuendum inſtituat; animus autem corporis imperio præſit, ex quo rerum omnium externarum vſus, qui maximè hominum ſocietati conſeruandæ ſit idoneus, comparetur; non video qua ratione fieri hoc poſſit, ſi gubernandæ Reip. ratio à recta inſtituendi animi ratione diſſentiat: quæ è Philoſophiæ præceptis tantummodo hauriri conſueuit. Ciuitates enim hominum cœtus cum ſint, cœtus autem ip-*

ſos non vnus atque alter, ſed plures conficiant, profectò, niſi ſinguli ad virtutem dirigantur, & parere legibus aſſueſcant, cœtus illi aut diſſoluantur neceſſe eſt, aut ita conſiſtant, vt in turbulentiſſimo Reip. ſtatu miſerrimè conflictentur. itaque, qui alteram facultatem ab altera ſeiunxerunt, rem non modò non neceſſariam, ſed ne vtilem quidem excogitarunt: quamquam enim Philoſophi qui ſunt, ita ſe interdum ab rebus agendis abducunt, vt, cum corpore domi, atq; in vrbe ſint, animo (vt idem Plato inquit) in cœlum auolent, & vtrum vicini, quos habent, belluæ ſint, an homines, planè neſciant: tamen, ſi ſe ad capeſſendam Remp. conferant, mirum quantum & prudentia & virtute cæteris antecellant omnibus. cuius rei cauſſa eſt, quòd non temerè, neque repentino quodam animi impetu, ſed ratione & conſilio ducti ad eam accedunt; non vt ex inopiæ ſordibus emergant; ſed vt illam, tanquam parentem, iuuent, & in primis beatam eſſe velint. quod nunquam facient, qui ſe prius ad omnem virtutem non conformauerint. quemadmodum enim regulam oportet eſſe tum rectam tum firmam, qua quis vtatur in faciundo opere, atq; in ſuperficie exæquanda;

lineisq;

lineiſq; ducendis, nulla vt ex parte contorta atq; obliqua ſint; ita ſanè is, cuius fidei Reſp. committitur, animo excultus, & moribus inſtitutus ſit oportet: vt, qualis ipſe eſt, tales eos eſſe velit, quibus imperat. id quod haud difficillimè conſequemur, ſi prius è Philoſophia didicerimus, qua ratione ipſi nobis imperemus. Nam quemadmodum, qui cadit, alterum ne cadat ſuſtinere non poteſt; ita qui vitia ſibi prius ex animo radicitus non extraxerit, ſibiq; acrius imperare non aſſueuerit, vix, ac ne vix quidem fieri poterit, alijs vt iuſtè imperet. Neq; enim bene imperabit vnquam, qui, cui ipſe pareat, habet neminem. Habere autem neceſſe eſt in Rep. Principes qui ſunt, cui diligentiſsimè pareant, legem: quam Pindarus omnium reginam mortalium atque immortalium vocat: eam videlicet, quæ non quidem vel in æs inciſa, vel in tabulis perſcripta, atque exarata legitur: ſed quæ ſemper vnà nobiſcum verſatur & excubat, neque liberè uagari aut à uoluptatibus ſeduci animum permittit, eumq;, vt ventos Aeolus Imperio premit, & vinclis & carcere frænat; ſic illa quaſi inuitum & repugnantem in officio continet. Atq; hæc quidem lex nihil aliud eſt, quàm ratio ipſa,

cui

cui vni, qui aliјs imperant, aſſiduè pareant neceſſe eſt. Sed nunc eò rem redactam videmus, vt fermè omnes, qui in Rep. principem locum tenent, ſeruitutem teterrimam eſſe putent, ſi cuius imperium ſequantur; idq́; vnum in imperio ſummum bonum eſſe putant, ſi nullius imperio ſubſint, & ex animi libidine, non ex præſcripto rationis cuncta adminiſtrent. Quemadmodum Dionyſius Siciliæ Tyrannus; qui tum demum ſe cum imperio eſſe intelligere dicebat, cum quæ vellet, ea nulla interpoſita mora fieri videret. ex quo Caligulæ Imperatoris nefariæ illæ voces: Tam bona ceruix ſimul ac iuſſero deponetur. &: Memento omnia mihi & in omnes licere. & blandè rogantibus conuiuis, quid rideret? Quid? niſi vno meo nutu iugulari vos ſtatim poſſe? quod quid aliud eſt, quàm excluſa iuſtitia, quæ quamdam diuinæ ſapientiæ imaginem in ciuitate repræſentat, aditum iniuſtitiæ patefacere, & malorum omnium cauſſas in Remp. inuehere? atq; hoc ſanè pleriſque omnibus vſu euenit, qui relicta penitus Philoſophia ad eam modò facultatem ſe conferunt, quæ vulgato etiam prouerbio ad ſe perdiſcendam, tanquam ad auream meſſem metendam, adoleſcentes cohortatur.

hortatur. qui cum ita animo affecti poſtea ſe Reip. gubernandæ dediderunt; nihil prius atq; antiquius habent, quàm verborum formulas et ſententiolas ex Iuriſconſultorum placitis ac reſponſis excerptas, quibus poſſunt cumq; malitioſis interpretationibus eò detorquere, quò volunt, qua ratione plerumq; accidit, vt, quos minus par eſt, ij potisſimum funditus euertantur, & fortunis omnibus exuti fruſtra deinde hominum fidem implorent. Quid ergo? iuris legumq; ſcientia contemnenda eſt, & è Rep. exterminanda? minime hoc quidem. Sed aut cum ea philoſophiæ parte copulanda, quæ mores ad virtutem dirigit, quod optimi quiq; Iuriſconſulti faciunt: aut exoranda, ſibi vt perſuaderi patiatur, philoſophiam quoque per ſe eam eſſe, quæ Rempub. optimè gubernare & poſſit & ſoleat. Poſſem hic, ſi euagari & orationem prolixiorem facere liberet, multorum Pontificum exemplis vti: quibus quod diximus, facillimè tueremur. Sed ne nos otio atque humanitate tua abuti videamur, BEATISSIME PATER, *non euoluam nunc quidem veterum annalium ſcriptores, ſed proximorum annorum memoriam repetam, quibus Pontifices profeſſione liberalium*

facultatum inter ſe diuerſi (eorum enim partim Iuriſconſulti, partim Philoſophi ac Theologi fuerunt) Remp. Chriſtianam ſic adminiſtrarunt omnes, nulli vt ex ijs reprehendi à quoquã poſsint. Nam in eorum Pontificatu qui in iurisprudentia excellebant, ea iuriſprudẽtiæ veſtigia impreſſa ſunt, quæ maximè laudabilia eſſe in gubernanda Rep. conſueuerunt: & eos qui è Philoſophiæ quaſi adytis ad eãdem dignitatem prouecti ſunt, ſic ſe egregiè geſsiſſe conſtat, vt commemorationem nominis ſui cum omni poſteritate adæquauerint. Itaque, quanquam omnes optimam Reip. regendæ rationem ſecuti ſunt, alios tamen alijs pro temporũ conditione antecelluiſſe nemo eſt qui neget. In eadem enim virtute gradus quidam ſunt alijs alij ſuperiores. vt cum nõ omnes in ijſdem conſiſtãt, omnes tamen laudem, qua digni ſunt, apud bonos conſequantur. Homerus Achillis perſonam ſic tractat, cæteris vt omnibus anteponat Heroibus, qui ad Troianum bellum conuenerant, cum interea de eorumdem virtute mirabiliter & ſentiat & loquatur. Quòd ſi interdũ longè illuſtrior vnius, quàm alterius Põtificatus habitus eſt, & verò etiã fuit; quid de te XYSTE V. *Pont. Max. ſtatuendum*

eſt,

eſt, quem multo ante cunctorum hominum vota Pontificem expetiuerunt, quàm admirabilis ille ſanctiſsimorum Patrum conſenſus Pontificē declarauit? & idquidem meritò. Sciebant enim te ſic ſemper vixiſſe, vt, quam, puer cū eſſes, expectationem de te cōmoueras, eam lōgè multumq; ſuperaueris. Commoueras autem tantam, quantam ab eo cōmoueri par fuerat, quem Deus Optimus Max. nondum natum dormienti patri ex eius vxore, quæ tum prægnans erat, ſumma felicitate filium in lucem proditurum indicarat: vſque adeo, vt te mox exortum pater tanti oraculi non immemor, addito nomine, quod fore ſperabat, cōfirmauerit. Felicē enim vocari voluit. cuius planè diuini ominis vim non modò exitus, ſed etiam prima illa pueritia, atque educationis rudimenta tua comprobarunt. quanta enim ea fuit felicitas, quòd à teneris (vt Græci dicunt) vnguiculis ea in te fuit, BEATISSIME PATER, *ingenij magnitudo, ea memoriæ præſtantia, vt Doctorem diſcendo præcurreres, & eorum, quæ didiceras obliuiſcereris nunquam. Neque enim felicitatem ijs finibus circūdandam cenſeo, quibus eam vulgo homines circumſcribunt. Nam ad hoc quidem multo maioris momenti apud me*

eſt, ingenij celeritate excellere, naturæ bonitate ad ea procliuem ferri, è quibus morum probitatem, & rerum ſcientiam hauriamus; quàm vel illuſtri loco natum eſſe, vel opibus & copijs ita cæteris omnibus antecellere, ut ea modò de cauſſa nos homines admirentur; perinde atque illam Colchorum ouem, quæ, præter aureum vellus, nihil planè habebat, quamobrem magnopere appeteretur. Sunt quidem diuitiæ, ſi rectè utamur, aptiſsimum ad laudabiliter agendum inſtrumentum: ſin ſecus; haud quis erret, ſi, quemadmodum omnium ſcelerum adminiſtras uocauerit; ita malorum omnium (ut Euripides ait) cauſſas hominibus afferre dixerit. Euertit Alexander Priami F. regnũ patris opulentiſsimum. Etheocles & Polynices regij fratres, & in regia opulentia educati vſque adeò inter ſe oderunt, vt vterque alterum mutuis vulneribus fœdiſsimè confoderit, & Thebanum imperium perdiderit. Sextus Tarquinius Superbi F. diuitiæ & potẽtiæ faſtu elatus Lucretiæ caſtiſsimæ fœminæ ſtuprum cum intuliſſet, in exilium unà cum patre pulſus eſt. Sed profectò dies dicẽtem me deficiat, ſi eos enumerare perrexero, quibus opes detrimentum ac perniciem attulerunt. quocumque

enim

enim apud hiſtoricos aut poetas oculos cõuertes, & immenſas quaſdã atque incredibiles vel priuatorum hominũ, vel maximorũ regum diuitias inſpicies; ferè quo maiores fuerint, eo etiam plures, grauioresq́; calamitates mox conſecutas eſſe animaduertes. Et verò, ſi Platoni credimus, fieri vix poteſt, vt, qui ditiſsimus eſt (ſiquidem ex opinione vulgi diuitias metiamur) idem ſit valde bonus. boni enim qui ſunt, ijdem felices ſint neceſſe eſt. Sed hæc ſpinoſiora fortaſſe ſunt, quàm epiſtolam deceant. Jllud certè nemo non fatebitur, eum, qui domi delicatè atque adeò in rerum omnium affluentia educatur, cum adoleuerit, ad voluptatem pòtius, quàm ad laborem animum appellere, niſi ſeueriſsimi cuſtodis diſciplina acceſſerit huiuſmodi, quæ adoleſcentis animum à voluptatũ illecebris reuocet, & ad virtutem traducat. quod quàm paucis contingat, nemo bonus eſt, qui magno ſuo cum dolore non perſpiciat. Nihil igitur eſt, cur in diuitijs felicitatem collocemus; ac ne in maiorum quidem ſplendore & claritate. quid enim aliud eſt hic ſe iactare, quàm ea de re inſolenter gloriari, quæ ad nos vel nihil, vel certè parum pertinet? vt non immerito illud in eos, qui id faciunt, & cir-

cumfe-

cumferatur, & quadret. Τὶς πατέρα αἰνήσει, εἰ μὴ κακοδαίμονα τέκνα; quaſi dicat, nemo eſt omnino, quē planè infelicem & abiectißimæ ſortis hominem exiſtimare nō debeamus, ſi præter maiorum ſuorum gloriam, nihil habuerit, cuius gratia ſe cæteris magnoperè cōmendet. At Romulus, Theſeus, Lycurgus, at ſexcenti alij, quos nominare neceſſe non eſt, ingenio potius & virtute, quàm magnis quibuſdam opibus, & nobilitate freti Reſp. conſtituerunt, quæ paulatim auctæ pepere- re auctoribus ſuis immortalitatem. quoties Cicero gloriatur, ſe hominem Arpinatem Romæ nobilitatis clauſtra refregiſſe? quoties diligentia, ſtudio, ac labore conſecutum eſſe, vt Metellis Scipionibus, Lucullis, alijs æquaretur? quin etiam confictis ac detortis in nobilitatis contemptum vocibus Lentulitates neſcio quas, & Appietates irridet. Et ſanè multo pluris facienda eſt ea nobilitas, quam quiſque ſibi peperit, quàm quæ à maioribus noſtris in nos deriuatur & redundat. Illa enim noſtra eſt, hæc aliena: illam nihil prohibet, cur nobis totam non aſſeramus, hanc alterius virtuti tribuamus neceſſe eſt. Atque vt ex perenni fonte perennibus aquis arua irrigantur ad fertilitatem: ſic ex illa præclariſ-

ſimæ

ſimæ ſemper actiones exiſtunt, quibus humanum genus mirabiliter iuuatur: ex hac non item. Etenim quemadmodum in occluſis canalibus ac paludibus aquæ, quæ aliunde influxerunt, plerumque corrumpuntur & putreſcunt; ſic in ijs, qui præter maiorum ſplendorem nihil habent, quod homines mirentur, omnis ad honeſtè agendum vis atque impetus concidit funditus, ac refrigeſcit, vt iam non laudandi, ſed magnopere vituperandi eſſe videantur. Quid ergo? nihil omnino eſt ab ijs parentibus eſſe ortum, qui nobiles & habeantur & ſint? immo magnũ quoddam bonum nullo cum bono cõparandum, ſi, quibus illud contigit, non inani quadam opinione ac iactantia, ſed virtute & factis, quæ ſolidam gloriam parere conſueuerunt, quaſi ſartum tectum (vt aiunt) atque integrum conſeruabitur: quod quidem nemo vnquam conſequetur, qui neque animi virtute, neque ingenij bonitate maximè excellit. Atque hanc ego huiuſmodi excellentiã, vt eò, vnde digreſſa eſt, reuertatur oratio, felicitatẽ appello, quæ propemodũ incredibilis ac diuina in te ipſo, PATER BEATISSIME, *adhuc puero, & penè dixerim, etiã tũ in cunis vagiente ſic ſe extulit, ſic ſe ſpectãdã protulit, nemo vt te, Fe-*

licem

licem cum appellaret, vere felicem eſſe non opinaretur. Sed eam tu felicitatē cum in Dei Opt. Max. cultu, & pietate totam reponeres, neque felicem eum eſſe poſſe exiſtimares, qui ſe cum ipſo Deo, quoad à ſe fieri poſſet, quàm maximè nō coniungeret, te in Sancti Franciſci familiā adoptandum tradidiſti; ſic tamen, vt nomen retinueris tuum. Sciebas enim ex ea permultos olim prodijſſe, qui cum & doctrina inſignes, & ſingulari vitæ integritate eſſent, præterquam quòd Eccleſiam Catholicam propemodum labantem humeris ipſi ſuis, nè humi procumberet, ſuſtinuerant, in Cœlum etiam recepti vnà cum mentibus illis puriſſimis ac beatiſſimis præſentes præſentē Deum inſpicerent, atq; omnibus gaudijs perfuſi eius conſpectu & diuinitate fruerentur. ad quorum exemplum te conformare vel in primis cupiebas. itaque ſic te totum Philoſophiæ, ac mox Theologiæ dedidiſti; ſic eorū ſtudiorū cupiditate incenſus flagrauiſti, vt breui in vtraque incredibiles progreſſus feceris. quibus quidem in facultatibus perdiſcēdis cum aſſiduus verſareris, non ita tamen te à Muſis, hoc eſt, ab his humanioribus & lenioribus litterarum ſtudijs auertiſti, vt ſubſeciuis horis ea non coleres & in dicēdo

te non

te non exerceres, quantum quidem principes facultates, id eſt Philoſophia, ac Theologia paterentur, quantumq́; otij ad id agendum à domeſticis publicisq́; eius familiæ curis tibi cõcederetur. quamobrem in ea facultate ſic te, iuuenis cum eſſes, exercitatum oſtendiſti, nemo vt frequẽtius ad populum, qui in templis ad Chriſtianam doctrinam audiendam conuenerat, contiones habuerit. At quas contiones? in quibus ſcilicet dubitarent eruditi ac docti homines, maior ne eſſet ſelectiſſimorum verborũ atque optimarum ſentẽtiarum copia; an ſanctiſſimorum myſteriorum explicatio clarior; an ad Chriſtianam pietatem inſtitutio facilior; an vitiorum reprehenſio ſeuerior; & ad piè ſancteq́; viuendum cohortatio vehementior: nemo vt prorſus te audierit, in quo ignes quaſi quidam excitati non ſint ad ſe emendandũ. nec mirum ſanè, quippe qui ea, quæ alijs præcipiebas, ipſe tuo exemplo facienda demonſtrares. Non enim vitæ genus tuæ ab oratione diſſentiebat; non mores à præceptis: talem te domi gerebas, talem inſtitueras, qualem foris haberi volebas; re, inquam, & factis eius familiæ diſciplina dignum, quæ tum fuit, cùm inſtituta eſt, ſeueriſſima ſcilicet, & Chriſtianarũ

virtutum pleniſſima. quæ, cum rerum humanarum more nonnihil à priſtina illa ſanctiſſimorũ Patrum viuendi ratione declinaſſet; ipſe, quod nemo ſatis laudare, nemo ſatis mirari queat, vnus fermè ex omnibus grauiſſimis illis veterũ inſtitutis delectabaris; ac ſine cuiuſquam ferè vel æmulatione vel exemplo tecũ ipſe certabas, tecum contendebas. quamquam non ego te, BEATISSIME PATER, *tantis laudibus ornandum arbitrarer, ſi quos tum Franciſcos, ſi quos Bonauenturas habuiſſes, ad quorum normam vitæ rationem conformare cogereris. Verſabaris tu quidem inter eos patres, qui, ſi ætatis huiuſce mores inſpiciamus, laudabiliter vixiſſe exiſtimari debeant; non ita tamen, exemplo vt ſuo ad illud vitæ genus perantiquum, ac propè diuinum impellere quemquam poſſent. Sed par erat, vt quem Deus Opt. Max. vniuerſo terrarum orbi ſolum ad imperãdum ſelegerat, eumdem etiam, tanquam vnicum Chriſtiani ſacerdotis exemplar, ad imitandum ſolum proponeret. Veſtigijs igitur tuis,* BEATISSIME PATER, *cum inſiſteres, te ipſe cum æmulareris, cum præſens præſentem, præter vnum te, haberes neminem, quem ſequi magnopere velles, ita vixiſti, mul-*

to vt

to vt prius totam Europam nominis celebritate compleueris, quàm quiſquam pedum celeritate peragrauerit. Quamobrem quocunque te contuleras, quacumque ingrediebaris, omnes te tanquam quemdam ex veterum annalium memoria mirabantur. ſtipitem illum planè ac truncum eſſe oportebat, qui tot tantasq́; virtutes non ſuſpiceret, qui tam ſingularis ſanctitatis hominē ſibi omni cultu non eſſe obſeruandum ſtatueret. Vt minimè mirari par ſit, ſi te vnum, qui vitæ actiones omnes ad virtutem iam inde à pueritia direxeras, qui tibi fortiſsimè imperare didiceras, qui Chriſtianæ doctrinæ fontes penitus imbiberas, atque impiorum hominum ſectas identidē in Eccleſia exorientes, acerbiſsimè oderas, ſi te, inquam, ſic moratum, ſic inſtitutum, ſic educatum Sanctiſsimi Pontifices tanquam in ſpecula excubare voluerunt; ex qua tu impendentes procellas proſpiceres; & ſi qui eſſent, qui in Eccleſiam pernicioſas opiniones inferrent, & quaſi lolium inter frumenta ſererent, eos tu, pro ſumma ſapientia tua, compeſceres, ac, ſi res ita poſtularet, grauiſsimis etiam ſupplicijs coërceres. quo in munere obeundo cum te mirabiliter geſsiſſes, cum præterea plurima extarent alia virtutis ac

pietatis tuæ veſtigia, nō in Italia modò, ſed etiā in Hiſpania; quæ perſequi ſi velim, iam non epiſtolam à me, ſed longiſsimam orationem ſcribi oporteat; cum, inquam, tot tamq́; ingentibus tuis in Remp. meritis præmium aliquod illuſtre diutius deberi non poſſet, in Cardinalium ordinem Pius V. Pont. Max. penè inuitum te ac nolentem cooptauit. quo facto, cum cæteri omnes magnum ijs patribus acceſsiſſe decus iudicarēt, & tibi tamen de tanto honore gratularentur, tu laborem in Eccleſia iuuanda tibi ex ea dignitate auctum ſtatueres, tantum abeſt, vt animum in otio quaſi conſeneſcere paſſus ſis, vt dies noctesq́; vel in rebus agendis, vel in ſanctiſsimorum Patrum ſcriptis & perlegendis & ad integritatem reſtituendis inuigilaueris. cuius rei grauiſsimi teſtes ſunt S. Ambroſii libri, quos cum peruerſorum hominum, & ab Eccleſia Romana, hoc eſt Catholica diſſentientium ſtudia multis in locis planè deprauauiſſent; ita tu ex vetuſtiſsimorum codicum fide emendauiſti & publicæ vtilitatis cauſſa in lucem edendos curauiſti, vt vel ex vna hac re laudem ſis immortalem apud omnes bonos adeptus. Quamquam hæc, ſi cum ijs, quæ poſtea conſecuta ſunt, comparentur, huiuſmodi videri

poſſunt, vt digna quidem illa ſint, quæ dilaudemus, non tamen, quæ nobis maximam admirationem moueant. Etenim, quod ante te pleriſq; alijs accidit, ea tibi Pontificatum pepererunt; ſed, quod nullis fortaſſe alijs vſu euenit, Pontificatus virtutes alias multo præſtatiores in te eſſe oſtendit: quæ, niſi tantam occaſionem nactæ fuiſſent, deliteſcerent etiam nunc illæ quidem, & nullorum oculos in ſe conuerterent. vt, quod Ariſtoteles ex ſententia Biantis refert, veriſsimum eſſe conſtet, vnumquemque ſcilicet ex magiſtratu, quem gerit, facilè declarari qualis ſit. Nam tu cumprimùm ad ſupremum iſtum locum prouectus es, re ipſa demonſtraſti non quidem humana quapiam ope te adiutum, ſed à Deo Opt. Max. ex tanto ſapientiſsimorum Principum numero ſelectum, qui multis incommodis affectam, ac, ſi non funditus euerſam, labantem certè atq; in dies in peius ruentem Remp. ſuſciperes, ac recreares: qui nauiculam fluctuantem, ac propemodum ab aduerſa tempeſtate demerſam in portũ ſubduceres, & in tuto collocares. Nemo enim eſt, PATER BEATISSIME; *qui non meminerit, quibus periculis ſalus non modò illorum, qui aut ruri in re familiari ſua occupati prædijs colendis*

operam

operam dabant, aut omnino peregrè proficiſcebantur, ſed illorum etiam omnium, qui cùm in alijs, tum in hac ipſa Vrbe, Roma, inquam, atque adeo domi ſua ſe continebant, expoſita fuerit, & quaſi quadam audaciſsimorum ſicariorum coniuratione ad quæſtum & rapinam expetita. Scimus cōplures & noctu & interdiu trucidatos fuiſſe, homines innocentes: ſcimus grandem pecuniam per vim & metum à multis exactam: ſcimus ex complexu parentum filios in ſolitudines abductos, vt aut miſerrimè iugularentur, aut ingenti pretio redimerentur. quid plura? iam non deerant, qui Viriatos, qui Atheniones, qui Bargulos, & Spartacos imitati latronum ac ſeruitiorum duces ſe eſſe palàm, atque apertè profiterentur. quorum etiam nomine percuſſos nummos vidimus, vt iam parum abeſſet, quin magiſtratus etiam & collegia auro, argento, æri flando feriundo ab ijs creatum iri ſuſpicaremur. atque hoc ſanè aliquo modo ferri potuit, ſi in extremis huiuſce Reip. atque Imperij finibus accidiſſet. Nūc autem in ipſo medio Latio, in ipſa, inquam, vrbe Roma, quam cæteris omnibus vrbibus certiſsimo præſidio ad ſalutem eſſe oportebat, hæc ipſa ſcelera fieri audiuimus,

vidi-

vidimus, ſenſimus; vt iam ad ea coercenda ne externa quidem auxilia, & conducta ingenti cũ Aerarij diſpendio copia ſufficerent. quas calamitates, cum agri liberè coli non poſſent, neque mercaturæ ſine periculo ac certiſſima mortis metu exerceri, neceſſariò & frugum inopia, & fœdiſſima fames cõſequebatur. neque ſanè hoc ideo à me dicitur, quod eum, qui tum Reip. praerat, tanquam vnicam tantorum malorum cauſſam reprehendendum & accuſandum cenſeam. abſit hoc à mea & aliorum cogitatione: ſed vt intelligatur quantum in vna eademq́; virtute homo homini præſtet, quantumq́; interſit inter eum qui à philoſophia inſtitutus ad Remp. accedit, & illum qui cancellis quaſi quibuſdam cõcluſum ſe putat à iuris legumq́; ſcientia, quos, etiam cum Reip. ratio poſtulat, refringere non audeat. Dubitandum enim non eſt, quin ea, quæ tum fiebãt, ipſo inuitiſsimo fierent, qui imperabat. Sed profectò nemo tam felix eſt, qui in magna & numeroſa familia non habeat aliquos ſuæ potius ipſorum vtilitatis cupidos, quàm eorum gloriæ ſtudioſos, quorum negotia in gubernanda Rep. adminiſtrant. quare cum per ſummam fraudẽ eos, qui Reip. præſunt, decipiant; facilè fit, vt im-

probis

probis hominibus ad improbè agendũ aperto aditu, atque impunitate propoſita ſtatus Reip. funditus conuellatur, & omnia ſurſum deorſum temerè ferantur. quod quidem tum accidere qui meminerint, ſi quidem ij boni ſunt, fieri minimè poteſt, quin toti horreant & contremiſcant, ſeq́; ſeruatos eſſe non magnopere mirentur & gaudeant è tanta gladiorum licentia, è tanto ſicariorum numero, atque improbiſsimorum hominum audacia; qui locupletum omnium fortunas prædam eſſe ſuam arbitrabantur, & innocentiſsimorum quorumq́; vitam acerbè & penitus oderant. Verumenimuero, quemadmodum vſu euenire interdum conſueuit, vt poſt fœdiſsimos imbres, & magnam aliquam turbulẽtamq́; tempeſtatem Solem diſcuſsis nubibus repentè cũ intuemur, ipſius lucem & pulchritudinem eo lætiores oculis vſurpemus noſtris, quo minus id futurum putabamus: ita in tanta rerum omnium confuſione, cum miſerè iactaremur, eamq́; in dies magis magiſq́; augeri videremus, neque vlla ſpes è tot miſerijs, quæ vndique in nos ingruebant, euadendi oſtenderetur, Dei Opt. Max. prouidentia & beneficio nobis iam non minus inſperantibus, quàm pereuntibus repentè con-

ſultum

ſultum fuiſſe animaduertimus. Etenim euocato (vt par eſt exiſtimari) in Cœlum atque in beatarum mentium conſortium GREGORIO XIII. *cum Patrum comitia propter multas & maximas cauſſas lōgiora fore, quàm vellemus, quamq́; Reip. tempora poſtularent, vulgo arbitraremur, Dei, inquam, Opt. Max. voluntate, atque inſtinctu factum eſt, vt tu* BEATISSIME PATER, *intra paucißimosq; dies, vel horas potius incredibili cum lætitia bonorū omniū Pontifex Max. creareris. Quis enim te cùm puriſsima & caſtiſſima vitæ hominem, tum eximiæ ſanctitatis Sacerdotem, & ſpectatæ virtutis virum, qui tot annos in Rep. adminiſtranda cum laude verſatus eſſes, in eum locum prouectum fuiſſe non lætaretur; quo cum perueniſſes, maximis illis, atque inueteratis morbis, quibus affligebamur, medereris? Neque verò, qui ex tam felici nuntio gaudijs omnibus exultarunt, decepti ſunt: quādo non prius in puppi ſedens clauum Reip. tenuiſti, quàm nos ſedatis quaſi tempeſtatibus tranquille vehi cœpti ſumus. Vt iam tum non maior ad bonos lætitia, quàm ad improbos & facinoroſos metus perueniſſe videretur. Itaque, qui paulò ante domi ſe mærentes continebant, neq; pro-*

†††† *pter*

pter graſſatores exire in publicum audebant, liberè iam per vrbem vagabantur: qui verò aliorum vita ac fortunis penè apertè bellum indixerant, ſcelerum ſuorum ſibi conſcij, aut è bonorũ conſpectu profugerunt, aut capti, & grauiſſimo ſupplicio affecti pœnas eas dederunt, quas meriti fuerant. id quod ſi in Vrbe ſolum accidiſſet, in qua vel indicta cauſſa nocentes homines plecti poſſunt, mirabile quiddam & dictu inauditum videri deberet. tantam fuiſſe de virtute tua expectationem, tantam de ſeueritate & iuſtitia opinionem, vt nõ ante imperare cœperis, quàm audaces & praui homines è ciuitate faceſſere, atq; aliò ſe conferre cogitauerint. Nunc autem ijs ipſis, qui foris in aratores, in pecuarios, in mercatores licenter atque impunè graßabantur, ſic res ceßit, vt, qui ſtatim non aufugerint, morte mulctati liberos ad paſcendum atque ad arandum agros reliquerint; ac viatores omni metu liberarint. Quid enim timerent ijs omnibus è medio ſublatis, qui latrocinia exercebant? præſertim cum eorum ipſorum, quibus cæteri tanquam ducibus parebant, capita ſudibus & longurijs præfixa pœnas præteritorum ſcelerum pependiſſe non ignorarent. Atque hæc quidem huiuſmo-

iuſmodi cum ſint, ſatis vt laudari ac pro rei magnitudine celebrari nequeant, illud tamen mirabilius & habetur & eſt: quod cum ærarium penitus exhauſtum eſſet, neque in horreis vel publicis vel priuatis frumentum reperiretur, fameſq́; impenderet maxima, ſic à te tanto incommodo obuiam itum eſt, vt ex ſumma inopia & caritate rei frumentariæ, conſecuta ſit annonæ vilitas, ſi temporum conditionem ſpectemus, incredibilis. Quod quidem ipſum, ſi illi, qui iam corroborato atque vndique opibus & copijs affluenti Pontificatu faciũt, id faciũt, quod Principis liberalitatem, clementiam, & humanitatem apud omnes teſtatur excellentem; quo nomimine factum tuum appellabimus PATER BEATISSIME*? qui cum vix Pontifex à Patribus ſalutatus eſſes, cum vix haberes, vnde domeſticos ſumptus tolerares, & annona ſic ingraueſceret, vt iam planè inopia ac fames, non caritas timeretur; effeceris tamen, vt vndique frumento in Vrbem comportato, neque ciuibus, neque peregrinis deeſſet, vnde copiosè alerentur. Eſt hoc, eſt, inquam, opinione omnium maius, & quod heroicæ cuiuſdam naturæ vim atque inſtinctum præſeferat. Tu* XYSTE V. *Pont. Max. cum à pe-*

cunia inops atque imparatus fœdiſsimā famem depuleris, egentiſsimos quoſq; ſubleuaris, in eam rem auri pondo IIM. & amplius impēderis, omnibus ſalutem repente attuleris, inter homines potius, quàm inter Heroas recenſeberis? quid enim aliud eſt Heroem eſſe, quàm omni ope humanum genus iuuare, & ijs potiſsimum prodeſſe, quibus ſumma Dei Opt. Max. volūtate præſis? Nam qui vnam aliquam virtutem habent, digni illi quidem ſunt, quos diligamus & miremur: ſed qui in omnibus excellunt, iam non amādi ſolum, & ſuſpiciendi, ſed, vt veterum more loquar, tanquam Semidei quidam è Cœlo ad nos delapſi omni veneratione ac pietate obſeruandi & colendi ſunt. nec loquor nunc de te, tanquam de Pontifice, cuī videlicet in terris Chriſti liberatoris noſtri perſonam gerēti omnia officia, quæ ad cultum & pietatem pertinent, debentur; ſed de ipſius animi tui ſingulari magnitudine ac præſtantia. Quamquam difficile ſit, vt qui non ſimulatè & ad tempus, ſed verè atque ex animo virtute aliqua excellit, idem etiam reliquas omni ope ac ſtudio non complectatur ac foueat. Ergo cum tu & iuſtitiæ & fortitudinis in delendis latrocinijs, in pacandis imperij finibus exempla

pene

penè innumerabilia edidiſſes, cùm munificentiam & liberalitatem tuam cum incredibili caritate coniunctam in ſubleuanda cunctorum inopia re ipſa oſtendiſſes; & in ijs ſumptibus, qui ſuperuacanei ſunt, reſecandis modeſtè ac temperanter viuendum eſſe docuiſſes; cum ingentem vim pecuniarum ſine vlla hominum querela ac nullo impoſito vectigali in ærarium ad vltimos caſus à te conſtitutũ retuliſſes: cum in iſtius ſanctiſſimæ ſedis auctoritate ac dignitate tuenda ne potẽtiſſimorum quidem Regum inimicitias tibi eſſe fugiendas declaraſſes; in eoq; animi magnitudinem incredibilem prætetuliſſes: opus etiam aggreſſus ès, quod & in præſentia apud omnes magnificentiæ laude nomen ſic illuſtrat tuum, illuſtrabitq; in futurum, vt è memoria hominum interiturum ſit nunquam. Nam qui quauis de cauſſa Romam ſe conferent, qui vt plurimi ſemper fuerunt, ſic poſthac futuros innumerabiles & auguramur & cupimus, cum vias apertas ac directas, cum aquas ad omnium & voluptatem & vtilitatem copioſiſsimas ac ſaluberrimas in Vrbem inductas, cum Apoſtolorum ſigna Cochlidibus columnis impoſita, cum nobiliſsimũ Obeliſcum in media Vaticani area, atque adeo

ante

ante ædem S. Petri, & in maximorum Pontificum quaſi veſtibulo collocatum ſpectabunt, XYSTI V. Pont. Max. magnificentiam cum Chriſtiana religione coniunctam ſpectabunt; eiusq; altiſsimum & veræ gloriæ cupidum animum diuinis laudibus iure optimo proſequentur: quippequi non intra longi temporis decurſum, ſed intra pauciſsimorum menſium ſpatium, cum vix Pontificatum attigiſſes, turbulentiſsimam ciuitatem in trãquilliſsimum ſtatum redegeris; audacium inſolentiam coercueris; neminem pacis atque otij ſtudioſum non reddideris; famem atque inopiam exterminaris; ærarium expleueris; Vias ad religioſiſsimas quasq; ſanctorum ædes munieris; &, quod nulli antea auſi ſunt Pontifices Max. ijdemq; ab omni rerum & pecuniarum affluentia inſtructiſsimi, vt tam vaſtam molem è loco ſuo commouerent, & in eum locum comportarent, in quem ad amplitudinem atque ornamentum eius templi, quod in orbe terrarum auguſtiſsimum, atque ampliſsimum futurum eſſet, inferri omnes cupiebant, vnus tu, PATER BEATISSIME, *incredibili cum omnium admiratione, ac feliciſsimo ſucceſſu propemodum derepente atque ex improuiſo inuexeris; effeceris*q;

riſq́, vt vel vno hoc nomine exteræ omnes nationes ſibi vrbem Romam primo quoque tempore viſendam, & tantarum rerum auctorem ſuppliciter adorandum, cùm ipſæ in præſentia ſtatuant, tum in poſterum eos, qui id fecerint, beatiſsimos fuiſſe prædicaturæ ſint. Sed ſentio me longius omnino prouectum, quàm tuæ Sanctitatis aures fortaſſe ferre poſsint. Quamquam enim veriſsima ſunt, quæ de incredibili virtute tua palàm ab omnibus gloriosè prædicantur; maiora tamen iſto animo tuo ad difficillima quæque, eademq́, præclariſsima tum erecto, tum inſtituto agitas; & quæ iam facta à te ſunt, perinde ac ſi ad te nihil pertineant vel obliuiſceris, vel pro nihilo ducis; &, vt iter qui faciunt, tametſi illi quidem ad id quod à ſe confectum vident, interdum cogitatione referuntur, ad id tamen taciti ſe cohortantur, & parant, quod conficiendum reſtat ante, quàm eò perueniant, quò ſe peruenturos eſſe decreuerunt, ita tu, PATER BEATISSIME; *cum quidem non ea, quæ ad exitum perduxeris, ſed quæ perducere conſtitueris aſsiduè tecum mediteris & cogites; Ego ne futurarum laudum, quæ tibi tum ab omnibus tribuentur diuinæ atque immortales, fructum*

præ-

præcerpere voluiſſe videar, cõtraham vela orationis meæ, precatus à Deo Opt. Max. vt incolumitatem, & ſalutem diutiſſimè tueatur tuã; & quoniam mihi celebrandi, quæ geſſeris, voluntatem tribuit incredibilem, eas etiam ingenij vires tribuat, quæ rebus, quas egiſti, quasq́; acturus es longè maiores, explicandis ornandisq́; ſufficiant. Interea ſi, quæ in commentarium de Obeliſco retulimus, tibi eſſe vel legenda, vel certè non abijcienda duxeris; ego BEATISSIME PATER, *futurum non deſperabo, vt me non omnino indignum exiſtimes, cui aliquam beneuolentiæ tuæ partem eſſe impertiendam arbitrere. Sic te Deus Opt. Max. ſaluum & incolumem diutiſsimè nobis ſeruet.*

Ingentes ſi facta decent ingentia Reges,
Te Regum Regem XYSTE *quis eſſe neget?*

Petrus Angelius Bargæus.

CAPITA

CAPITA RERVM QVAE IN COMMENTARIO DE OBELISCO CONTINENTVR.

OBELISCVS vnde dictus
Veru quid ſit
Veru Sabinorum
Obeliſci deſcriptio
Obeliſcus cur ὑποκοριστικῶς dicatur
Obeliſci nomenclatura ex allegoria ducta reprehenditur
Obeliſcum Aegyptio nomine radium Solis ſignificari
Obeliſcum ab Herodoto Obelum dici
Obeliſcum dictum fuiſſe à multitudine paruulorũ Obelorum
Obeliſcum dictum eſſe κατὰ ἀντίφρασιν
Obeliſcum dictũ eſſe à paruulo Obelo Sphæræ ſuperiori infixo
Allegorias in perquirenda vocum notatione ſpectari non oportere
Obeliſcus ex quo lapidum genere fieret
Pyrhopæcilos lapis vnde dictus, & è quibus montibus excinderetur

Obeliſcus cur e lapide Pyrhopæcilo
Obeliſci figuram Solis radios imitari.
Obeliſcum Metæ ſimilem cur dicat Ammianus
Meta quid ſit, & vnde dicatur
Metam in extremis Circi partibus locari conſueuiſſe.
Metam quoties circumagerentur currus
Metam à Græcis Καμπτὸν vocari
Vmbram terræ à Cicerone Metam noctis dici
Pyramides alias triangulares, alias quadrangulares eſſe
Obeliſcum à Plinio trabem dici
Obeliſcum à Mitre rege fuiſſe inſtitutum
Heliopolim Sacerdotum ſedem
Sacerdotes Ægyptios fuiſſe doctiſſimos
Pythagoram, Democritum, Zamolxim, Solonem, Platonem, Eudoxum ad Sacerdotes diſcendi cauſa ſe contuliſſe
Mitres & Menas an idem
Menas primus in Aegypto regnauit
Menam Lunam, Mitram Solem ſignificare
Solem ab Ægyptijs Oſyrim dici
Lunam ab Aegyptijs Iſim dici
Cur in Regum Aegyptiorum nominibus ab auctoribus variatum ſit
Herodoti erratum, qui Memphim à Mena conditam dicat
Memphim ab Vchoreo Vchorei F. conditam
Vchoreum ab Euſebio Epaphum Iouis F. fuiſſe dictum
Epaphum ex Io, & Ioue in Aegypto natum
Memphim ædificatam Anno mundi IIIMIϽCCX. *vel* IIMIϽXI.

Obe-

Obeliſcos plurimos Thebis fuiſſe
Thebæ Aegyptiæ qualis Vrbs & quanta
Thebæ Aegyptiæ cur ἑκατόμπυλοι
Diodorus Siculus in Aegyptum proficiſcitur Olympiade CXXC.
Diodorus Siculus Hiſtoriā ſcribit annis plus minus LVIII. *ante natum Chriſtum*
Thebas Memphi condita deſertas à regibus
Obeliſcum multo ante Pyramidem fuiſſe inſtitutum
Obeliſcum nobiliorem Pyramide eſſe
Pyramides ſubſtructas à regibus ad ſepulturæ vſum
Ioſephi Hiſtorici locus reprehenſus, ac defenſus
Moſes naſcitur ante Memphim cond. annis ferme centum
Moſes annum agens octogeſimum ex Aegypto Hebræos eduxit
Pyramides falſo exiſtimari Granaria fuiſſe
Opinio quorumdam de Pyramidum antiquitate refutatā
Obeliſcos omnes vniuerſe Soli ſacratos
Obeliſcos duos à Seſoſtride Thebis Ioui dicatos CXX. *cubitorum ſingulos*
Locus Diodori declaratus
Pallades dici ſolitas Virgines Ioui ſacras
Scribendi ratio duplex apud Ægyptios, quarum altera ἐπιστολογραφικὴ *altera* ἱερογλυφικὴ, *dicebatur*
Figuræ aliquot Hieroglyphicæ declaratę
Gręcos pro Hieroglyphicis figuris dicta quędam breuia vſurpauiſſe
Barbaros Hieroglyphicis figuris vſos eſſe

Idarthuræ Regis Scytharũ litterę Hieroglyphicę ad Dariũ
Hieroglyphicarum notarum vſum duplicem
Obeliſcorum Hieroglyphicę notę quas res complecterentur
Hieroglyphicę notę in Obeliſco Auguſti explicatę
Rhameſtes, cuius ſit mentio in Obeliſco Auguſti, quis fuerit
Rhamiſes apud Plinium vtrum idem cum Rhameſte
Rhameſes apud Euſebium quis
Phero Seſoſtridis filius
Seſoſtris terrę orbem prope totum ſubegit
Seſoſtrim regibus ſub iugum miſſis in triumpho quot annis ferri voluiſſe
Pheronẽ ab Herodoto dici, q in Obeliſco Auguſti Hero dicitur
Gręcos nominibus à vocali incipientibus addere conſueuiſſe Æolicum digamma
Pheronem, & Pharaonem eũdem
Pharaonem dignitatis cognomen
Ægyptij natura leues
Alexander Magnus Iouis filius
Arſacidę Perſarum reges Solis & Lunæ fratres
Ptolemęus cognomento Ceraunius
Antigonus Solis filius
Antiochus Syrię rex Deus
Domitianus, & Caligula Ioues Latiales
Ægyptij reges Apollinis, & Solis filij
Ægyptij Solem pręcipue colebant
Mitras ex nomine Solis dictus
Cultus omnis Deorum ab Ægyptijs emanauit
Perſæ Solem colebant

De

De Mitrę ideſt Solis cultu apud Perſas
Mitræ ſignum quale
Mitras cur in antro colebatur
Apollinem à Sole diuerſum fuiſſe apud Ægyptios
Obeliſcos quatuor à Sochi rege in Vrbe Heliopoli cubitorum XLVIII.
Obeliſcos duos à Rhamiſe alterum cubitorum XL. *alterum cubitorum* LXVI.
Plinij locus correctus
Mneuis quis fuerit
Memnonis Regia
Memnonis Coloſſum à Sole mane percuſſum vocalem ſonum reddere
Plinij locus reſtitutus
Cambyſem Ramiſis Obeliſco peperciſſe
Cambyſem in Ægypto, & templa deuaſtaſſe, & Obeliſcos corrupiſſe
Obeliſcus à Smarre cubit. XLVIII. } *Nullis inſcripti notis*
Obeliſcus ab Heraphio cub. XLVIII. }
Obeliſcum à Nectabi exciſum cubit. LXXX.
Obeliſcum Nectabis Ptolemæus Philadelphus Alexandriæ ſtatuit
Quo modo Obeliſcus Nectabis Alexandriam deuectus ſit
Obeliſci duo Alexandriæ cubit. XLII. *ad Ædem Cæſaris*
Meſphees Aegypti rex, & Mephres idem
Phero Seſoſtridi ſucceſſit in regnum
Obeliſci duo à Pherone facti cubit. C. *longitudine, latitudine VIII.*

Obe-

Obeliſcos Pheronis Soli ſacratos fuiſſe
Phero excæcatus
Phero viſum recuperat, & quomodo
Phero voti compos Obeliſcos ſuos Soli ſacrat
Obeliſcos duos ab Auguſto Romam deuectos, & alterum in Circo Maximo, alterum in Campo Martio fuiſſe poſitum
Obeliſcus in Campo ſtatutus horas, ac dierum incrementa, & decrementa oſtendebat, & quomodo.
Obeliſcos tantum duos regnante Auguſto in Vrbem inuectos, poſtea vero ſex
Obeliſcos octo omnino Romæ fuiſſe, ex veterum ſcriptorum teſtimonio
Obeliſcos duos in Circo Maximo
Obeliſcum vnum in Campo Martio
Obeliſcos duos ad Mauſoleum Auguſti
Obeliſcum vnum in Circo Caij, & Neronis in Vaticano
Obeliſcum vnum in Inſula Tiberis
Obeliſcum vnum in Hortis Salluſtianis
Obeliſcos XLII. *minores in Vrbe Roma*
Plinij locus defenſus
Obeliſcum Vaticani fractum, ac dimidiatum
Suetonij locus declaratus
Obeliſcum Vaticani alterum fuiſſe ex ijs duobus quos Phero Seſoſtridis filius centenum cubitorum recepto viſu Soli ſacrauit.
Hermolaus Barbarus à negligentia defenſus
Plinij locus reſtitutus
Obeliſcus Pheronis quot annis ante Pontificatum Xyſti V. fuerit

fuerit à Pherone Soli dedicatus
An erratum ab eo ſit qui Obeliſcum Vaticani antiquiorem bello Troiano fuiſſe ſcribit, & ea in re quos ex veteribus ſecutus eſſe videri poſſit
Argonautas fuiſſe ante bellum Troianum annis fere centum
Obeliſcus Conſtantinianus
Ammianus Marcellinus, & P. Victor cur diſſentire videantur cum de Obeliſci duobus Circi Max. loquuntur.
Obeliſcos duos Circi Maximi confractos, & comminutos exiſtimari poſſe
Nauium trium, quarum ſit mentio ad Obeliſcos ex Aegypto Romam inuehendos ædificatarum Caianam fuiſſe maximam
Obeliſcus ex Smaragdo quatuor cubitorum longitudine, latitudine trium
Obeliſcum è quatuor Smaragdis quadraginta cubitorum lōgitudine, latitudine in parte quatuor, in parte duorum
Coloſſeum Serapim, e Smaragdo cubit. IX.
Breuis Ἀλληγορία *ad Obeliſcos pertinens*
Cauſſæ quibus Xyſtus V. Pont. Max. videri poſſit adductus, vt Obeliſcum Caianum in Aream Vaticani deferri curauerit
Xyſtus V. Pont. Max.
Latrocinia ſuſtulit
Annonę caritatem ſubleuauit
Mores emendauit
Vias nouas in Vrbe ſtrauit
Aedes Lateranas magnificentiſſime reſtituit

Aquas

Aquas vberes, & ſalubres in Vrbem induxit

Veteres Eccleſiæ ceremonias renouauit

Deorum ſtatuas e Capitolina turre deiecit

Apoſtolorum Petri, & Pauli Signa ex ære columnis Cochlidibus impoſuit

Templa ſitu collabentia, ac pene deſerta & inſtaurauit, & frequentari inſtituit

Sacella exædificauit

Obeliſcum Pheronium e vetere ſede auulſum in Aream Vaticani tranſtulit

Obeliſco Crucem impoſuit, vt iam non ad ſuperſtitionem ſed ad veram pietatem religioſe ſpectaretur.

OBE-

OBELISCVS AD LECTOREM.

O Bruta ruderibus moles, Vrbiſq; ruinis,
Stabam ego iam populo vix bene nota meo.
Nunc emota loco, Cœloq; inuecta patenti,
Sublimem lætor uertice ferre Crucem.
Quid ſim, quid fuerī, quis me fabricauerit auctor,
Si quæris; ſcripta hæc qualiacūq; docent.
Quæ te non aliter forſan legiſſe iuuabit,
Quàm me animo, atq; oculis cernere poſſe tuis.
Sed tu, ſiue illud, ſiue hoc facis, Vni age grates
Dic Xyſto. Xyſtus præſtat utrumq; tibi.

Petri Angelij Bargæi.

AD XYSTVM V. PONT. MAX.

VT Pater, vt Princeps, vt ſummus, Xyſte, Sacerdos
Plebem alis, Vrbem ornas, Iuſq; piumq; colis.
Plebs læta exultat, ſe ſe Vrbs miratur, et uni
Relligio obſtrictam ſe uidet eſſe tibi.
Vbertas frugum teſtis, Fonteſq;, Viæq;,
Tẽpla, Obeli, Cochlides, Signa, Sacella, Cruces.
Viue Pater: uiue, ò, Princeps: uiue alme Sacerdos:
Quodq; facis, populos perge beare tuos.
Sic nullos uentura fuiſſe fatebitur ætas,
Aut fore, quos uni conferat auſa tibi.

Petri Angelij Bargæi.

PETRI

PETRI ANGELII BARGAEI

COMMENTARIVS *de Obeliſco.*

ET ſi in re valde antiqua & perobſcura, cuius veſtigia magno cum labore vel indagare, vel odorari oporteat, paucißima ſunt, quorũ ope nos, quod volumus, aſſequamur; ex ijs tamen & paucis, & parum explicatis ea eligere conabimur, quæ generatim quidem ad omnium Obeliſcorum, ſingillatim verò ad eius, quem Caius in Vrbem importauit, cognitionem facere videbuntur: id enim in primis quærendum eſt. Atq. hoc ipſum, quò commodius perſequi, & coniecturas noſtras, quoad fieri hac huiuſmodi in re à nobis poterit, certißimis argumentis confirmare valeamus, ab illis, qui hæc legent (ſi modò vlli legẽt) impetratum cupimus, vt paulò altius, quàm fortaſſe ipſi velint, exordiri nobis liceat. Sic enim fiet, vt & nos quaſi ſemel manu arreptum, atque apprehenſum funem ſecuti, ex huiuſmodi labyrinthi

planè cæcis ambagibus egredi, atque ex variarum opinionum fluctibus, Symplegadum more inter ſe concurrentibus, euadere minus deſperemus: & illi cum ad inſtitutæ à nobis commentationis finem peruenerint, iudicare facilè queant, rectè ne, an ſecus curſum in tantis tenebris, atque in tam anguſtis vadis tenuerimus. Sed, ne cuiuſquam animum diutius quàm par eſt à lectione remoremur, & aliena facilitate atque otio licenter abutamur, iam nunc à nominis notatione id, quod in quaque re Stoici facere conſueuerunt, totius diſputationis noſtræ initium capiemus.

Obeliſcum igitur vocem eſſe Græcam, & à voce græca ὀβελίσκος deriuari, nemo eſt qui dubitet. ea latinè veru nominatur: inſtrumentum ſcilicet ferreum, quod in prima ſui parte craſſiore corpore cum ſit, paulatim minuitur, donec in acutam cuſpidem deſinat. Eo carnes ad ignem circumuolutæ torreri conſueuerunt. Virg. lib. ij. Georgicorum.

Pinguiaq; in veribus torrebimus exta colurnis

A cuius ſimilitudine Sabini telū, quo in bellis vtebantur, veru appellauerunt: itaque idem Virg. lib. vij. Aeneidos.

Et tereti pugnant mucrone, veruq; Sabello.

Quo tamen in loco Seruius Grammaticus iuxta nonnullorum opinionem pro veru, pilum accipi debere ſcribit. Quod tamen non longe à veru, ſi pili formam inſpexeris, diſtare videatur. Eſt igitur Obeliſcus aſperrimus lapis in figuram metæ cuiuſdam ſenſim ad

proce-

proceritatem conſurgens excelſam: vtque radium imitetur, gracileſcens paulisper, ſpecie quadrata, in verticem productus anguſtum, manu leuigatus artificis, formarum autẽ innumeras notas Hieroglyphicas appellatas habens, quas ei vndiq; videmus inciſas, atque ad iam tum exorientis ſapientiæ initia commoſtranda ex veterum auctoritate adinuentas. Hæc fermè ſunt verba, quibus Ammianus Marcellinus Obeliſcum non definit ille quidem, ſed deſcribit. Cæterum quoniam diximus vnde dictus ſit, & verbi notatio à nobis allata cum huiuſmodi deſcriptione conſentit, videamus etiã cur potius Obeliſcus, quàm Obelus, ὑποκοριστικῶς ſcilicet, nominetur, Græcorũ more: qui ſtellulas, regulos, rotulas, quas illos paruulos Deos Panes ἀστερίσκους, βασιλίσκους, τροχίσκους, καλαθίσκους, πανίσκους vocãt. Cum enim immane quoddã ſaxum ſit, cuius altitudo, vt ſuo loco oſtendemus, alicubi cxx. cubitorum ſit; par eſſe videbatur, vt in eo appellando voce potius rem ipſam augente, quàm diminuente vteremur. Neque enim aliud eſt Obeliſcus, quàm latinè ſi dixeris veruculum, hoc eſt paruulum veru. Non ignoro eſſe qui huiuſce vocis diminutæ rationem eò acutè ac ſubtiliter reuocent, vt affirment non magis Obeliſci formam apud Aegyptios, quàm nomen ipſum eſſe inter Hieroglyphicas notas percenſendum: vt, quemadmodum Obeliſcus, ideſt, moles illa ſaxea ad veru ſimilitudinem conformata mentem ſignificat noſtram ad vnum modò Deum ſe efferentem, inſtar radij ſolaris, qui quò longius à Sole

 diſce-

diſcedit, eo latior fit: quo minus, eo acutior, & in vnum ipſum lucis auctorem, quaſi in punctum deſinit: ſic ingens illud ſaxum, ſi cum acie mentis noſtrę ſe ſe in Deum erigentis comparetur, rem minutiſſimam ac perexiguam videri oporteat. Docta ſanè ac peracuta notatio, ſi pro certo nobis conſtaret, Aegyptios ipſos, apud quos Obeliſcus primùm inuentus eſt, ſua ipſorũ lingua huiuſmodi molem diminuenti voce appellauiſſe: Quamquam Plinius Aegyptio nomine ſignificari Solis radios teſtatur, illic ſcilicet, vbi ad hanc rationem loquitur: *Trabes ex eo facere Reges quodam certamine, Obeliſcos vocantes, Solis numini ſacratos; radiorum eius argumentum in effigie eſt, & ita ſignificatur nomine Aegyptio.* hæc Plinius. Sed ſi tamen illi tam grande ſaxum ὑποκοριστικῶς nominabant, cur Herodotus, qui in Aegypto fuit, & omnia à Sacerdotibus diligenter vel curioſè potius perſcrutatus eſt, non ille quidem Obeliſcos, ſed Obelos vocat? vt mihi omnino veriſimile videatur, Aegyptiorum lingua fuiſſe ea voce dictos, quæ Obelo, nõ Obeliſco reſponderet. Quamquam non ignoro Diodorum Siculum, & alios Græcos & Latinos ab Herodoto hac quidem in re diſcedentes, dixiſſe Obeliſcum: cuiuſce nomenclaturæ rationem, quantum coniectura conſequi poterimus, hinc iam aperire incipiemus. Quando igitur Herodotus, antequẽ nemo apud Græcos, quod ſciam, eius ſaxeæ trabis mentionem fecit, Obelum ſemper, Obeliſcum nominat nunquã; credibile eſt, vt mihi quidem videtur, ab ijs, qui Herodo-

tum conſecuti ſunt, eam eſſe vocem vſurpatam, qua, qui Aegyptum inuiſiſſent, plurimùm vterentur. Eos autem ab infinito propemodum earum trabium numero, quæ in Aegypto erant minores, huiuſmodi omnes lapides Obeliſcos appellauiſſe: quales Romam ex Aegypto plurimas aduectas fuiſſe ſcimus, vt obeliſcorum multitudo proprium & peculiare Obelorum nomen obſcurauerit. Fieri etiam poterit, vt Obeliſci à contrario ſenſu nominati ſint: nimirum, vt quemadmodū lucum à lucendo dicimus, quem arborum denſitate & frequentia vmbroſum atque obſcurum eſſe cōſtat; ita illi Obeliſcum appellauerint, cū κατὰ ἀντίφρασιν immanem eſſe molem ſignificare voluerint: ad cuius altitudinem ante hominum oculos exponendam, & quaſi repræſentandam nulla vox ſatis idonea reperiretur: ſatius vt fuerit ad oppoſitum verbum confugere, quàm illud vſurpare, in quo præter vnam huiuſmodi vocis translationē, nihil omnino ſpectaremus, quod re poſtmodū cognita & perſpecta, animum noſtrum ad admirationem magnopere traduceret; ex quo etiam, niſi planè fallor, factum eſt, vt vulgò tam immanem molem deriuato nomine ab acu ὑποκοριστικῶς Aguglia, quaſi tu dixeris aciculam, appellemus. Non enim minus ad acus, quàm ad veru formam & ſimilitudinem accedit. Tertia reſtat ratio, quamobrem huiuſmodi nomen tantę moli fuiſſe impoſitū exiſtimare non ineptè fortaſſe debeamus, ea eſt, quòd cùm tantorū lapidum vertici orbem inauratum imponi, atque in ſuprema

ma

ma ipſius orbis parte veruculum infigi conſueuiſſe conſtet, id quod ex eo globo, qui in Caiani Obeliſci vertice ſpectabatur, diſcere omnes potuimus; factum eſſe, vt tota illa moles diminuenti nomine fuerit appellata. Quarum notationum eã quiſque ſequatur, quàm maxime probauerit, ſi quam modo probauerit, aut certè ipſe meliorem excogitet. Quòd ſi etiã ἀλληγορικῶς accipi voluerit; nihil eſt, quamobrem reprehenſionem pertimeſcat meam. Vnicuique enim debet eſſe iudiciũ ſuum maxime liberum. Mihi ſatis ſuperque eſt in medium adduxiſſe, quæ in primis probabilia eſſe videbãtur, omiſſis allegoriis, quarum vi, nihil fermè eſt, quod ad diuinitatem aliquo modo referre nequeamus: præſertim ſi licuerit eas qua vis in re, aut in voce, aut in numeris ſcrupuloſè & ſubtiliter Pythagoreorum more perſequi. Obeliſcum igitur, ſeu tu Obelum cũ Herodoto nominare malueris, ex aſperrimo lapide fieri cõſueuiſſe & Ammianus tradidit, & cæteri ſcriptores memoriæ mandauerunt: inter quos Diodorus Siculus σκληρὸν λίθον ſaxũ, ex quo fiebant vocat: ideſt rude, aſperum ac durum. quem quidem lapidẽ Plinius Pyrhopæcilon vocatum fuiſſe ſcribit antequam Syenites vocaretur. etenim Pyrhopæcilos dictus eſt, quod punctis quibuſdam ignei coloris diſtinctus, ac varius vndique interluceat. eum poſtea Syenitem nominarũt, quod ex ijs montibus, qui Aethiopiam attingunt, atque à Syene Thebaidos non longè abſunt, exſcindebatur. Id autem duplici de cauſſa ab Regibus Aegyptiis factum

fuiſſe

fuiſſe arbitror: nimirum, vt & huiuſmodi monumenta diutiſſimè conſeruarentur; & Soli, cui dicabantur, tum ex figura, tum ex colore in primis conuenirent. Saxum enim illud duriſſimũ cum ſit, neque intercurrentibus venis & ſciſſuris diſſilit, neque exeditur ſalſugine, neque vetuſtate collabitur, neque vllarum tempeſtatum iniuriam pertimeſcit. vt, niſi hominũ opera, atque ignium vis acceſſerit, ſempiternũ atque immortale permanſurum eſſe videatur: quod aliis nõ accidit. Figura verò, in quam conformatur, quod Solis radios imitetur, ad Solem quoque referatur neceſſe eſt. Senſim enim inſtar metæ ad proceritatem conſurgit, & illam quidem excelſam. Eſt omnino Obeliſcus ita factus, vt, quamquam idem cum meta non eſt, tamen haud ſanè longè diſcedat à ſpecie & figura ipſius metæ. cuius quoniam Ammianus in Obeliſci deſcriptione meminit, eumque illi perſimilem eſſe dicit, non omnino abſurdè feciſſe videbimur, ſi antequam longius progrediamur, quid ſit meta ſtatuerimus. Quamquã enim res ipſa per ſe ſatis nota eſt; tamen, quia ad inſtitutam à nobis ſcriptionem magnopere pertinet, vt exactè cognoſcatur; non pigebit hic adſcribere quæ ſcitu non omnino indigna videbuntur.

Metam igitur Latini dixerunt à metiẽdo, ſiue à metando, quod idem eſt. ſtatui enim conſueuerat in extremis Circi partibus, ad quam currus in ludis curulibus cum perueniſſent, neceſſe habebant ſepties circũ metam agi. Propertius libro ij. Elegia xxv.

Aut

Aut prius infecto depoſcit præmia curſu
Septima quam metam triuerit ante rota.

Et Horatius:

Sunt quos curriculo puluerem Olympicum
Collegiſſe iuuat, metaq; feruidis
Euitata rotis, palmaq; nobilis
Terrarum dominos euehit ad Deos.

Ea Pyramis quaſi quædam erat. à perampla enim & lata baſi incipiens in acutũ apicem deſinebat. Sed Pyramis tribus, aut etiam quatuor lateribus conſtabat, vt loco ſuo dicemus: meta in orbem ſurgebat, tendebatque tanquam turbo inuerſus in acumen. Itaque eã Græci κῶνον vocabant, de quo Ariſtotiles in Problematis ἔςι γὰρ κῶνος, οὗ ἡ βάσις, κύκλος. *Conus*, inquit, *eſt cuius baſis circulus eſt.* quã voce Cicero quaſi Latina vtitur lib. 2. de Nat. Deorum: *Conum*, inquit, *tibi ais & cylindrum & pyramidem pulchriorẽ, quàm ſphęram videri.* & lib. pri. *At mihi vel cylindri vel quadrati vel coni, vel pyramidis videtur eſſe formoſior.* Meta igitur dicebatur quarumcũque rerum congeries, quæ latam & globoſam baſim cũ haberet, in acutum verticem deſinebat. Quare Cicero lib. 2. de Diuin. vmbrã terræ, metam noctis vocat. *Vident*, inquit, *hęc conſtantiſſimo motu Lunæ, quando illa è regione Solis facta incurrat in vmbrã terræ, quę eſt meta noctis, vt eã obſcurari neceſſe ſit.* Vnde etiã & Coni dicũtur à Gręcis turbines illi teretes, quos pueri funiculo circũacto in orbẽ præcipites conuerti cogũt, dum in compitis inter ſe ludunt. quin & metas appellamus ſeu fœni,

ſeu paleæ, ſeu frumenti ſtrues: quas à ruſticis in agris, & apud villas paſſim confici videmus, quò commodiſſimè defendantur à pluuiis. Quamquam autem diximus figura orbiculata & globoſa metas conſtrui, non ignoramus tamen Pyramides, quæ metæ ſunt, nõnullas inueniri, quarum aliæ ſunt quadrangulares, alię triangulares: Sed ad Obeliſcum redeamus, quem quia metæ ſimilem Ammianus eſſe dicit, nos in meta decla rãda longiores fortaſſe fuimus, quàm oportuit. Eum, vt paulò ante dicebamus, Plinius trabem appellat, & à Mitre fuiſſe inſtitutum aſſerit, qui in Solis vrbe regnũ obtinebat, idque illum feciſſe ſomnio admonitum: quemadmodum in ipſo Obeliſco inſcriptum fuerat. vt mirari, ne dicam ridere illos liceat, qui affirmant & Obeliſcos & Pyramides ą doctiſſimis illis ſacerdotibus excogitatas, vt eſſent nobis tanquam quædam mentiũ noſtrarum imagines, quæ ab humanis cogitationibus ad diuinas nos traducerent, & cum Deo rerum omniũ auctore coniungerent. Præclarum ſanè inuentum, & doctorum piorumq́ue Sacerdotum ſapientia vel in primis dignum, ſi ad hoc ipſum faciendũ ab ijs potius, q̃ à ſuperſtitioſo Rege ad expiandũ ſomniũ fuiſſet inſtitutum. Neque tamen is ſum, qui neſciam Heliopolim potiſſimam fuiſſe ſedem Sacerdotũ, qui philoſophiæ & Aſtronomiæ cæteriſque omnibus liberalibus facultatibus operam darent, & Pythagoram, Democritum, Zamolxin, & Solonem eò profectos eſſe; Platonem verò & Eudoxum tredecim ipſos annos apud illos per-

manſiſſe; vt philoſophiæ Theologiæque arcana perdiſcerent. Verſabantur illi quidem in rerum natura indaganda, ſed ita tamen, ut quam ipſi cognitionem aſſecuti eſſent, eam aut obſcurè traderent, aut omnino alios occultarent. Fieri igitur potuit, vt quod Mitres ſomniauerat, ipſi acutè excogitata radiorum ſolarium imagine quaſi quadam, re ipſa conformauerint, & inde philoſophandi occaſionem præbuerint multis. Facilè enim eſt interpretari quod fortuitò ſit inuentũ, id prudenter fuiſſe excogitatum. Vtrum autem Mitres (ſeu Mithras dici malueris, idem enim nomen eſt) qui primus Obeliſcum adinuenit, idem ſit cum Mena, qui primus Aegyptiorum Rex fuit; equidem nõ auſim affirmare. quando & Menas lunam, & Mitres Solem ſignificat, vtrunque apud Aegyptios in magna veneratione & cultu habitum: quorum alterum Oſyrim, alterum Iſim vocabant. Herodotus certè ac Diodorus nuſquam Mitræ Regis, quod ſciam, mentionẽ faciũt: Menam autem vterque ſcribit primum in Aegypto regnauiſſe. Euſebius ex libris Manethonis ſacerdotis Amaſim Aegypti Regem primũ nominat: Mephrem quartum: vt in tanta rerum ac nominum obſcuritate & confuſione nihil certi ſtatui poſſit. Id verò inde factũ arbitror, quòd innumerabiles penè Reges in Aegypto cum regnauerint, perpaucorum nomina memoriç mandata ſunt à ſcriptoribus; ac non eadem ab omnibus omnia, ſed ab alijs alia, prout quiſque ex Sacerdotibus, quorũ erat cura, vt acta conſcriberent, hunc,

aut illũ Regem vel amabant, vel oderant. Quare apud Diodorum legimus inter Vchoreum & Seſoſtrim xix. ætates, annos ſcilicet quingentos ſeptuaginta interceſſiſſe, cum interea præter Miridem nullus, qui Aegypto imperauerit, neq; à Diodoro ipſo, neq; ab Herodoto nominetur. Cum autẽ Euſebius horũ nuſquã meminerit, aliorũ meminerit, veriſimile eſt à Manethone, quẽ ipſe ſequebatur, ſilẽtio fuiſſe præteritos, itẽq; alios ab aliis: quorum fidem & ſcripta Herodotus ac Diodorus ſecuti ſunt. Mirum certè, vt eo, vnde diſceſſimus, redeamus, illud eſt, quòd Herodotus Menam illum fuiſſe ſcribit, qui Memphim condidit, quam ab Vchoreo conditam fuiſſe Diodorus teſtatur, annis ſcilicet poſt Thebas, quę in Aegypto erant, conditas ıↄ x x x v. Euſebius autẽ ab Epapho Iouis & Ius filio Memphim conditam memorat, Græcorum commẽta & fabulas ſecutus, apud quos tamen Epaphum fuiſſe Aegyptium confitentur omnes. Aiunt enim Io, poſt multos errores, in Aegyptum perueniſſe, ibique à Ioue priſtinæ formæ reſtitutam, & compreſſam peperiſſe Epaphum, à quo deinde Memphis originem habuerit ſuam. Quin etiam Herodotus Thalia ſcribit Apim bouem a Græcis vocari Epaphũ, vt hoc huiuſmodi nomine ſignificetur vel homo aliquis certus, vel bellua, quæ apud Aegyptios ſit. Quando etiam Pindarus Ode x. τῶν νεμέων multas vrbes ab Epapho in Aegypto conditas fuiſſe teſtatur, cum ita canit. πολλὰ δ' αἰγύπτῳ κατῴκισθεν ἄστη ταῖς ἐπάφου παλάμαις. & quidem facilis eſt tranſitus ex Api in Epaphum, &

ab Api legimus Memphim conditam eſſe, & Apim ipſum primum fuiſſe, qui in Aegypto Deus appellatus ſit, & Serapis cognominatus. vt Apis bos, Apis Deus, Apis Memphis cõditor vno nomine à Græcis Epaphus appelletur. ſed ille ſiue Vchoreus, ſiue Epaphus, ſiue vterque vnus & idem fuerit, verùm à Græcis aliter, aliter ab Aegyptijs nominatus, conſtat ex Euſebio, præter quem, qui nobis in tantis tenebris lumen præferat, habemus neminem, Memphim ab eo fuiſſe exædificatam anno mũdi CIↃ CIↃ CIↃ IↃ CCX. cum tamen ex eodem pateat, Amaſim, quem ipſe primum Aegypti Regem nominat, viginti quinque annos cum imperio in Aegypto fuiſſe, hoc eſt ab anno mundi CIↃ CIↃ CIↃ CCCLXXVIII. ad annum CIↃ CIↃ CIↃ CCCCXCIII. qua ratione anni ipſi CCXXXII. inter eum, qui primus in Aegypto regnauit, & eum, qui Memphim cõdidit, interfuerunt. Neque refert, quòd annos mundi Euſebius aliter, aliter alij numerauerint. Plerumque enim rerum ipſarum, quæ acciderunt, inter ſe diſtantia eadem fermè eſt apud omnes. exempli gratia, Moſes apud Euſebium in deſerto præeſt Iudæorum genti circiter annum mundi CIↃ CIↃ CIↃ IↃ CCV. apud alios CIↃ CIↃ IↃ. apud eumdem Troia capitur à Græcis anno mundi CIↃ CIↃ CIↃ CIↃ XX. apud alios CIↃ CIↃ IↃ CCXXC. hic ſi alterius calculũ ex alterius calculo ſubduxeris, vigintiquinque annorum differentiam confeceris, quæ nulla omnino eſt. Atque hoc quidem in loco cum Thebarum meminerimus, non

temere

temerè à nobis fiet, ſi nonnulla de ea vrbe, in qua pluri-
mos Obeliſcos fuiſſe legimus, quaſi aliud agentes di-
cemus; quæ tamen à re propoſita longiſſimè non aber-
rabunt. Thebæ, quam Aegyptij Iouis vrbem vocant,
ſi Diodoro credimus, à Buſiride ſecundo Aegypti Re-
ge cõditæ ſunt. cuius vrbis circuitum CXL. ſtadia me-
tiebantur, quæ ſunt paſſuum decem & ſeptem millia
& quingenti, ſi octonis quibuſque ſtadiis millenos paſ-
ſus contineri ſtatuerimus. magna in ea & pulcherrima
ædificia, & ſumptuoſiſſima Deorum templa: aliaque
vrbis ornamenta quam plurima, digniſſima illa quidẽ,
quæ omnes mirarentur. præterea priuatorum ciuium
ædes, quarum aliæ quatuor, aliæ quinque contigna-
tionibus ac tectis conſtarent: tanta verò rerum om-
nium affluẽtia, vt non modò in Aegypto, ſed ne in to-
to quidem terrarum orbe vrbes eſſent, quæ cum The-
bis comparari poſſent. Quare Homerus cũ Achillem
pertinaciſſimè negantẽ inducit velle ſe cum Agamem-
none in gratiam redire ita loquentem facit:

οὐδ᾽ ὅσα θήβας
Αἰγυπτίας, ὅθι πλεῖστα δόμοις ἐν κτήματα κεῖται
Αἵθ᾽ ἑκατόμπυλοί εἰσι διηκόσιοι δ᾽ ἀν᾽ ἑκάστην
Ἀνέρες ἐξοιχνεῦσι σὺν ἵπποισι καὶ ὄχεσφιν.

hæc ita, vt potuimus, latinè vertimus:

Nec mihi ſi dederit quidquid confertur in vrbem
Thebas Aegypti, quarum domus omnis abundat:
Quæq; adeo centum portas præbere patentes,
Et quaque ex porta bis centum exire feruntur

Subli-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Sublimes in equis iuuenes, & curribus altis.

Sunt tamen qui putent, Thebas nõ ideo ἑκατομπύλυς dictas, quod centum portas haberent, ſed quod multa & magna templorum veſtibula, quæ Græcè προπύλαια dicuntur, in ea forent: ideoq; vrbs cognominata fuerit ἑκατόμπυλος quaſi πολύπυλος. vt ſit numerus finitus pro infinito poſitus. ſed hoc qualecunque ſit, illud pro comperto habetur, viginti millia curruum ex ea ad bellum exire conſueuiſſe. centum enim equorum ſtabula inter Memphim & Thebas ad eam viam fuerunt, qua iuxta flumen ibatur: quorum ſingula ducenos equos capiebant. tãtorum autem ædificiorum veſtigia, & fundamenta vidiſſe ſe Diodorus teſtatur cum circiter Olympiadem CXXC. Cornelium Gallũ ſecutus in Aegyptum ſe contulit, annis videlicet ante quàm Ieſus Chriſtus liberator noſter naſceretur, plus minus LVIII. Quæ tamen Vrbs tam opulenta, tamq; rebus omnibus & ad vitã neceſſariis, & ad incredibilem quãdam magnificentiam oſtentandam comparatis ornata, atque inſtructa cum eſſet, deſeri à Regibus, ſimulatq. Memphis florere ac celebrari cœpta eſt. vſque adeo, vt pauciſſimi ſupereſſent, qui eam incolerent. Hæc tam multa de Thebis à me dicta ſunt, quò commodius eorum opinionem refutaremus, qui putant Obeliſcos ad Pyramidum formam inuentos ac factos. Nam idem Diodorus teſtatur inter cætera propemodum infinita Thebarũ ornamenta, qualia ſunt tum dona ex argẽto, auro, ebore Dijs immortalibus conſecrata, tum innumera-

merabiles Coloſſi, fuiſſe etiam Obeliſcorum ex vno ac ſolido lapide conſtantium admirabiles ſubſtructiones. Quòd ſi Thebæ ante conditam Memphim amplius quingētos annos floruerunt, & Pyramides à Memphiticis Regibus excogitatæ, atque extructæ ſunt; ſine vlla dubitatione concludi poteſt, multo ante fuiſſe Obeliſcum, quam Pyramis fuerit. præſertim, cum ex auctoritate Plinij, quemadmodum paulò ante oſtendimus, conſtet à Mitre, qui in Solis vrbe lōge vetuſtiore, quàm Memphis, regnabat, Obeliſcum fuiſſe adinuentum; Pyramidem autem à Chembete, qui Memphi multis poſt ſeculis regnum obtinuerit. Tempore igitur multo prior Obeliſcus, quàm Pyramis: & vt tempore, ita etiam dignitate, & veneratione ſuperior. Nam præterquam quòd mirabile eſt tam portentoſam molem ex vnico ac duriſſimo ſaxo exſcindi integram potuiſſe, finis etiam, & cauſſa ſi ſpectetur, cur Obeliſcus extiterit, videbitur eſſe Pyramidi longiſſimè præferendus. Mitres enim Rex conficiendum curauit, vt quaſi ex concepto voto Soli donum daret: ineoq́. rerum à ſe geſtarum memoriam Aegyptiacis notis perſcriptam ad poſteros propagaret. At Pyramides ſepulchri cauſſa fuiſſe à Regibus ſubſtructas certo ſcimus. Quas quoniam diximus Memphiticorum regum fuiſſe inuentū ad ſepulturæ vſum, vt ex Diodoro, & Herodoto cognoſcimus, & eorum quidem regum, qui multis poſt Memphim conditam ætatibus illic regnauerunt, Ioſephum hiſtoriæ ſcriptorem, ſi Euſebij calculus verus eſt, negli-

gentiæ

gentiæ condemnabimus. qui libro ij. Rerum Iudaicarum, Hebræos aſſerat ab Aegyptiis regibus in exædificādis Pyramidibus occupari, ac defatigari ſolitos fuiſſe. Id quod iuxta illum calculum nullo modo verū eſſe poteſt. Moſem enim natum eſſe oſtendit Euſebius ante Memphim conditam annis fermè centum, iſq; annum cum ageret octogeſimum Hebræos ex Aegyptiorū ſeruitute liberauit: aliquot annis ſcilicet ante, quàm Memphis conderetur. vt hinc etiam eorum error intelligatur, qui Pyramides Granaria fuiſſe exiſtimant à Ioſepho illo perantiquo Iacobi filio inſtituta ad annonæ caritatem ſubleuandam, quam ipſe ſomnium regis interpretatus tanto ante futuram prædixerat. Sin autē Euſebium in ſubducendo temporum calculo deceptū eſſe ſtatuemus, & recentiorum calculum veriorem eſſe exiſtimabimus, nihil erit cur de Ioſephi fide dubitemus. quando ex eo calculo Memphim eſſe conditam cōſtat, quo tempore Iacobus Ioſephi pater in Aegyptū deſcendit, multis ſcilicet annis ante Moſem natum. Quāquam oblitus nō ſum, Diodorū dicere, nōnullos eſſe, qui Pyramides affirment annos ter mille quadringentos & amplius ante Auguſti ætatem, quo imperante ipſe hiſtoriam ſcripſit, fuiſſe exædificatas. id quod ſi verum eſſet, duæ res in primis abſurdæ conſequerentur. Vna, Pyramides multis ætatibus ante Diluuium fuiſſe: hoc eſt, ante mortem Noę annis CIↃ CCCCLV. moritur enim Noas, ſi Euſebium ſequimur, anno mūdi CIↃ CIↃ CIↃCCLIII. ſi alios CIↃ IↃ CLVI. Vt vtrū-

uis

uis fuerit, neceſſe ſit non modò multis ante Diluuium annis Pyramides fuiſse, ſed etiam, ſi recentiorum calculum probamus, tum fuiſse, cùm Adamus annum ætatis agebat ſuæ IↃLII. Vixit enim annos IↃCCCC XXX. Altera, quòd reges in Aegypto nulli cum eſſent, ædificatæ fuiſsent: & tamen conſtat eas Memphiticorum regum ſepulcra eſse. quibus regnantibus nulli omnino Hebræi in Aegypto relicti fuerant: omnes enim multo antè in libertatem vnà cum Moſe ipſorum Duce ſe aſseruerant. Quare longè probabilius eſt, quod eodem in loco idem Diodorus ex opinione ſua ponit, Pyramides ſcilicet ſubſtructas fuiſſe annis ante ætatem ſuam mille: ante Vrbem ſcilicet conditam CCXLVI. poſt captam verò Troiam CLXXVIII. poſt Memphim conditam CCCCXC. vel IↃCCXIIII. qua ratione ſatis ſuperq; probatum à nobis videtur id, quod de Obeliſcorum antiquitate, & de Ioſephi hiſtoriarum ſcriptoris fide ſupradiximus. Atque vt omnes, quod volunt facile indagare per ſe queant, duplicem annorum mundi calculum ſubiecimus, alterum Euſebij, alterum recentiorum, qui ab Euſebio diſcedentes propius ad veritatem acceſſiſse exiſtimantur.

Anni Mundi Euſebiani		*Anni Mundi recentiorum*	
2303	Noas naſcitur	1156	
2803	Diluuium	1656	
3253	Noas moritur	2106	
3475	Iacobus Ioſephi pater	2238	
3610	Moſes naſcitur	2413	
3708	Memphis conditur	2238	Quo tẽporè Iacobus in Aegyptũ
4020	Troia capitur	2780	(deſcendit.
4308	Phero Seſoſtridis F.	2838	LVIII. anno poſt Troiam captã.
4444	Vrbs conditur	3224	
5198	Chriſtus naſcitur	3952	Vt hãc eãdẽ eẽ & Auguſti & Dio-
6783	Xyſtus V. Pont.	5537	(dori Siculi ætatẽ intelligam.

His ita in ordinem redactis, ad Obeliſcum, vnde diſceſsimus, reuertamur. Cum igitur apertè pateat & ex auctoritate Plinij, & ex ipſius formæ linearumq́. æquabili dimenſione tum primum Obeliſcum, tum eos, quos poſtea ad eamdem rationem cæteri Reges fabricati ſunt, Soli ſacratos eſse: tamen, vt hoc vniuersè verũ ſit, alijs etiam Dijs ſeparatè dicabantur. legimus enim à Rege Seſoſtride Obeliſcos duos cẽtum viginti cubitorum Thebis Deo, qui illic præcipue colebatur, fuiſse ſtatutos. Deum autem illum Iouem eſse teſtatur Strabo lib. xvij. Geographiæ his verbis: ἀνατιθέασι δὲ τῷ ἑρμῇ πάσαν τὴν τοιαύτην σοφίαν. τῷ δὲ διῒ, ὃν μάλιστα τιμῶσιν εὐειδεστάτη, καὶ γένους λαμπροτάτου παρθένος ἱερᾶται, ἃς καλοῦσιν οἱ ἕλληνες παλλάδας. hoc eſt: *Attribuerunt autem & conſecrarunt hanc omnem huiuſmodi ſapientiam Mercurio. Ioui autem, quem maxime colunt, virgo conſecratur, quæ & formoſiſſima ſit, & nobiliſſimo genere nata. huiuſmodi autem virgines à Græcis nominantur Pallades.* Duplex autem ſcribendi ratio apud Aegyptios in conſuetudine fuit, vt He-

vt Herodotus Euterpe, & Clemens Alexandrinus Stromate quinto nos admonet. vna quæ ſacris, altera quę popularibus notis vteretur. & hanc quidem ἐπιστολογραφικὴν vocabant, ſcribendis ſcilicet epiſtolis accommodatam: alteram vero Hieroglyphicam, hoc eſt ſacram dicebant, qua ἱερογραμματεῖς vtebantur. ij ſunt rerũ myſticarum interpretes, ac ſcribæ. Sacræ notę, quæ dicebantur, vnius rei vnica pictura interdum vnum, interdum multa ſignificabant, vt ſi vulturem pinxiſsent, intelligi rerum omnium naturam volebant: ſi apem, regem: ſi ſcarabeum, Solem: ſi Hippopotamum, impietatem: pietatem, ſi ciconiam: ſi canes duos, duo Hemiſphæria, vel tropicos duos: Solem autem cũ morbos infert, ſi accipitrem. Qui mos ad Græcos etiam, atque adeò ad Barbaros tranſiit. Nam Græci quidem cum ſigna & ſcalpturas illas Aegyptias omiſiſſent, breuibus quibuſdam dictis plurima comprehendebant. cuiuſmodi erãt oracula, vnde Apollo λοξίας, ideſt obliquus, & quaſi flexuoſus eſt cognominatus: & ſapientum præcepta: Noſce te ipſum: Tempori parce: A fabis abſtineto: Super terram ne nauigato: & alia ſexcenta, quæ breuiſſima cum ſint, multarum rerum congeriem complecti ſolent. Barbari autem Aegyptiorũ conſuetudinem ſecuti quibuſdam animantium imaginibus animi ſenſa expreſſerunt, vt Idanthuras Scytharum Rex, qui ad Darium traiecto Iſtro bellum minantem eas litteras miſit, in quibus murem, ranam, auem, iaculum, aratrum pinxerat: neque vllum ver-

bum prætereà addidit: è quorum animantium figuris alij Scythas imperium Dario tradituros interpretabantur, quod ex mure domos, ex rana aquas, ex aue aërem, ex iaculo arma, ex aratro regionem ſignificari diceret. alij non poſſe Scytharum tela à Perſis euitari, niſi illi è Scythia tanquam aues euolarent, aut terram, aut aquã, tanquam mures & ranæ ſubirent. Hæ igitur notæ breuiſſimum locum ad multas res ſignificandas poſtulabant: quod fieri minime licuiſſet, ſi popularibus & ad epiſtolam ſcribendã aptis notis vterētur: quæ cum plures ſint, & ad exprimēdum animi ſenſa neceſſariò adhibeantur omnes, profectò ad tot res percēſendas nullius Obeliſci latera ſuffeciſſent, in quibus & Regum illorum opes, & copiæ perſcribebantur; & quas ipſi nationes deuiciſſent, & quos ad fines imperium propagaſſent, & quemadmodum Scythas, Bactrianos, Indos, & Iones armis debellauiſſent, & in ditionem potestatemq; redegiſſent ſuam. Addebatur prætereà & vectigalium magnitudo penè incredibilis, & militum multitudo inæſtimabilis, & alia huiuſmodi permulta, quæ Regibus illis opulentiſſimis, ac potentiſſimis viderentur. Quæ niſi ſacris illis notis vſi eſſent, nunquam tam exigua ac breui vnius litteris area complexi fuiſſent, ſi præſertim grandiores notas, quò facilius legi poſſent, quemadmodum fieri ſolet, incidi curauiſſent. Duplicem igitur vſum ex ſe pariebant Hieroglyphicæ notæ: vnũ, quod ſupra eſt à nobis demonſtratũ, cum Theologiæ ſeu Philoſophiæ arcana contegebant, eaque iis

duntaxat patefaciebat, qui ſapientiā omni conatu appeterent: alterum, cum paucis imaginibus longam rerum ac verborum ſeriem complecterentur. Quod, vt quàm verè à nobis dicatur, intelligi poſſit, ſubiiciemus hic ea, quæ notis Aegyptiacis deſcripta legebantur in latere Obeliſci veteris, qui erat in Circo maximo poſitus. Nam ſi eadem litteris, aut Græcis, aut Latinis exarari quis ibidem voluiſſet, næ ille longè latiorem campum fruſtra quæſiuiſſet. Verba autem illic Aegyptiacè inſcripta, Græcè olim interpretatus eſt Hermapion, quæ nos ad hanc rationem latina fecimus.

A parte Auſtrali.

Hæc ſunt, quę Regi Rhameſti donauimus, quem totum terrarum orbem gubernans Sol & Apollo amat, fortis veri amator Heronis filius, ex Deo genitus, conditor orbis terræ, quem Sol ſelectū habuit, fortis Martis Rex Rhameſtes, cui cum fortitudine & audacia ſubiectus eſt totus terrarū orbis, Rex Rhameſtes Solis filius immortalis.

Ordo ſecundus.

Apollo fortis, is qui reuera dominus eſt diadematis, & Aegyptum gloria à ſe cumulatā poſſedit, is qui Solis vrbem ſplendidam fecit, & reliquum orbem terrarum condidit, & ingenti honore proſecutus in Solis vrbe Deos collocatos ac poſitos, quem Sol diligit.

Ordo tertius.

Apollo fortis Solis filius, totus lucidus, quem Sol ſelectum habuit, & Mars ſtrenuus donauit: cuius bona omni tempore permanent: quem Ammon diligit, cum donarijs

exple-

expleuerit Phœnicis delubrum, cui Dei vitæ tempus largiti ſunt. Apollo fortis Heronis filius Rex orbis terrarum Rhameſtes, qui ſeruauit Ægyptum, poſtquam aliam gentem ſuperauiſſet, quem Sol amat, cui longũ tempus vitæ Dij largiti ſunt, dominus orbis terrarum Rhameſtes longæuus.

Alius ordo ſecundus.

Sol Deus magnus dominus Cœli, largitus ſum tibi vitã ſatietatis expertem: Apollo fortis dominus diadematis incomparabilis, quorum ſigna dedicaui in hac regia, dominus Ægypti: & exornauit Solis vrbem itidem & ipſum Solem dominum Cœli, vna confecit opus bonum Solis filius Rex longæuus.

Tertius ordo.

Sol Deus dominus Cœli Rhameſti regi largitus ſum potentiam, & in omnes dominatum, quem Apollo veri amator dominus temporum, & Vulcanus Deorum pater ſelectum habuit propter Martem Rex longe gratiſſimus Solis filius, & à Sole amatus.

A parte orientali primus ordo.

Magnus à Solis vrbe Deus cœleſtis Apollo fortis Heronis filius, quem Sol educauit, quem Dei honore proſecuti ſunt, qui vniuerſo terrarum orbi dominatur, quem Sol ſelectum habuit, inclytus propter Martem Rex: quem Ammon amat: & is qui totus collucet, longæuum Regem eſſe iuſſit.

Hæc huiuſmodi leguntur apud Ammianum Marcellinum. qui Græca maluerit, ex eius libro xvij. petere poterit. Quoniam vero idem auctor ad ipſius inſcriptionis finem addit & reliqua, facilè intelligimus eam inſcri-

inſcriptionem eſſe multò lõgiorem. Quamquam etiã idem exiſtimari poteſt ex ipſa Epigrapha à parte orientali: quam cũ neque ſecundus, neque tertius ordo con ſequatur, neceſſe eſt multa fuiſse ab Ammiano prętermiſſa, quæ & Aegyptiacè in ipſo Obeliſco & Græcè apud Hermapionem legebantur. de qua quidẽ re quid attinet dubitare? cum idem Ammianus dicat in omnibus Obeliſci lateribus fuiſse inciſas Hieroglyphicas notas; nunc autem eas tantum interpretatas, & excriptas videamus, quæ in parte Obeliſci ad Auſtrum vergente ſculptæ fuerant. Nam, quæ partem ſeptentrionalem ſpectabant, nullę omnino reprę́ſentatæ ſunt, ac ne illæ quidem, quę partem Obeliſci occidentalem occupauerant. Cæterum quod ad Rhameſtem pertinet, cui Obeliſcus eſt inſcriptus, nullam eius mentionem apud Herodotum aut Diodorũ reperio. Euſebius Rhameſem in Aegypto regnauiſse ſexaginta ſex ipſos annos teſtatur: nimirum ab anno mundi CIƆ CIƆ CIƆ IƆ CCCXXC. ad annum CIƆ CIƆ CIƆ IƆ CCCCXLVI. Plinius vero Rhamiſem ſcribit Aegyptiis imperauiſse, quo tempore Ilium captum eſt. id autem accidit anno mũdi CIƆ CIƆ CIƆ CIƆ XX. vt quod ad Plinium & Euſebium pertinet ſeptuaginta quatuor annorum tãtum differentia interſit, quam in tanto tẽporum curſu nullius eſse momenti iudicamus. Et ſanè veriſimile eſt, hunc Rhamiſem Plinianum eũdem fuiſse cum Rhameſe Euſebiano, & cum Rhameſte, cuius in Auguſti Obeliſco, qui in circo fuerat poſitus, fit mentio: quã-

do &

do & in eadem fermè tempora incurrunt, & idem nomen eſt, ſi ex Rhameſte vnicā litteram dempſeris, aut ſi Rhameſi eamdem addideris. Videmus enim ab auctoribus Barbarorum Regum nomina non iiſdem litteris exarari, neque pronuntiari eodē vocis ſono. Herodotus & qui eum conſecuti ſunt latini ſcriptores Seſoſtrim vocant, quem Diodorus Siculus Seſooſim nominat. Huc accedit coniecturæ noſtræ non tenue argumentum, quòd Rhameſtes in ſuperiore Obeliſci inſcriptione longæuus appellatur, Rhameſes autem cum ſexaginta ſex annos imperauerit, valde ſenem fuiſſe eū oportet cùm mortuus eſt. Neque obſtat quòd Rhameſes Zeto in imperio ſucceſſerit, Rhameſtes vero Heronis filius fuerit. etenim fieri potuit, vt Rhameſtes, ſeu tu Rhameſes dici malueris, vel ex priuata domo ad regnum peruenerit, vel in eius patris nomine variatū ab auctoribus fuerit. quamquam Heronis nomen inter Aegyptiorum regum nomina ab Herodoto numeratur, ac Seſoſtridis filius fuiſſe perhibetur, qui terrarū orbem propè totum victoriis peragrauerit ſuis, ſic vt Colchos etiam & Scythas etiam in ditionem poteſtatemque Aegyptiorum regum redegerit. vnde Valerius Flaccus libro v.

Nec minus hic varia lætatus imagine templi
Ad geminas fert ora fores, cunabula gentis
Colchidos hic, ortuſque tuens: vt prima Seſoſtris
Intulerit Rex bella Getis: vt clade ſuorum
Territus hos Thebas patriumque reducat ad amnem:

Phaſi-

Phaſidis hos imponat agris, Colchoſque vocari
Imperat: Arſinoen illi, tepidæque requirunt
Otia læta phari, pinguemq; ſine imbribus amnem.

Et Lucanus:

Venit ad occaſum mundiq; extrema Seſoſtris,
Et Pharios currus regum ceruicibus egit.

Seſoſtrim enim in tantam ferociam, atque arrogantiam proceſſiſſe legimus, vt Reges, quos forte duci iubebat, ſingulis annis ad currum iungeret, ſeque ab iis per vrbem triumphantem vehi iuberet, quibus verſibus hos, qui ſequuntur, idem Lucanus ſubiicit:

Ante tamen veſtros amnes Rhodanumque Paduinq;
Quam Nilum de fonte bibit.

Ex hoc igitur Seſoſtride natum eſſe illum cõſtat, quem Obeliſci inſcriptio Heronem, Herodotus Pheronẽ vocat, ſecutus ſcilicet veterum Græcorum dialectum, qui vocibus à vocali incipiẽtibus digamma Aeolicum addebãt. Itaque Helenam Felenam: Hormias Formias: Hebrim Febrim: Haleſum Faleſum, & inde Faliſcos & ἀνίρα, & ἄνακτα, & οἶνον Fανίρα, Fάνακτα & Fοῖνον dicebant: quod & Seruius Grammaticus ad illud ex ſeptimo Aeneidos. *Æquosque Faliſcos*. Et Dionyſius Alicarnaſſeus lib. pri. cum de Velia loquitur, teſtantur. Itaque; vt mihi quidem videtur, non inepte exiſtimari poteſt, eumdem eſſe Obeliſci ſuperioris Heronem, & Herodoti Pheronem, quando vtrum vis dixeris, idem dixeris: & fortaſſe idem eſt cognomen Aegyptiorum Regum, quos Moſes in libris ſuis Pharaones nuncupat,

nos autem Cæſares & Auguſtos appellamus. quam coniecturam confirmat Diodorus Siculus cum eum, quem ab Herodoto Pheronem nominari diximus, ipſe Seſoſtrim Seſoſtridis filium vocat. Sed in tãta rerum obſcuritate cum aliud nihil occurrat, quod ſequamur, præter coniecturam; vnicuique facilè concedemus, vt illud probet, quod ipſe in primis probabile eſſe iudicabit. ſi Aegyptiorum Sacerdotum commentarij vnà cũ imperio non periiſſent, nihil profectò foret, quod magnopere laboraremus. Nunc amiſſis Regum illorum ſucceſſionibus, & perturbata temporum ſerie, quis eſt, qui quidquã pro comperto ſtatuere poſſit? Ergo vt ad Obeliſcum redeamus, ex inſcriptis notis conſtat Rhameſti Regi dicatũ fuiſſe, aut certè à Rhameſte rege quicumque tandem is fuerit, Soli donum datum: à quo Reges Aegyptij, natura videlicet leues, & inani faſtu elati, ac tumidi, quemadmodum Adrianus Imperator in epiſtola quadam ſua ad Seruianũ Conſ. de omnibus Aegyptiis ſcriptum reliquit, diligi ſe, atque amari gloriabantur; & Solis ipſius filij exiſtimari volebant, quorum amentiam imitatus eſt Alexander Philippi filius cognomento Magnus ad eos profectus, & ab Ammonis ſacerdotibus Iouis filius appellatus. Nam ita ſe poſtea non ſolùm vocari paſſus eſt, ſed etiam iuſſit. Atque hæc quidem vanitas cum ab Aegypto emanauiſſet, longè lateq; poſtea peruagata eſt. Nam & Arſacidæ Perſarum Reges Solis ſe & Lunæ fratres appellabant: & Ptolemæus Ceraunij cognomine delectabatur; & An-

tigo-

tigonus ab Hermodoro Rhetore Solis filius eſt dictus. nec minus Syriæ Rex Antiochus ſupra hominis conditionem ſeſe efferens Deus vocari voluit: Domitianus autẽ & Caius Caligula, vt noſtros etiam attingamus, & optimi maximi, & latiales Ioues ex ipſorum iuſſu cõſalutati ſunt. Mirum igitur eſſe nõ debet, ſi Reges ſuos Aegyptii modo Apollines, modo Solis filios vocabant. Etenim præcipue Solem colendum & adorandum arbitrabantur, quem & lucis auctorem, & rerum omniũ parentem exiſtimarent. videbant enim nihil eſſe in rerum natura, quod ab eius calore non procrearetur, ac vitam nanciſceretur ſuam. Quamobrem in eam mentem adduci me facilè patior, vt Mitrem, quem nos ex auctoritate Plinij primum Obeliſcum adinueniſſe diximus, in Aegypto cum regnaret, Regẽ fuiſſe putem, qui ſe Solem appellari voluerit: Mitres enim Solem ſignificat Perſarum voce, vt quidam arbitrantur, vt nos, Aegyptiorum. Quando ab Aegyptiis omnem Deorũ cultum, & omnes omnium ſuperſtitiones, & ceremonias ad reliquas orbis terrarum partes emanaſſe cõſtat, ac præſertim ad Perſas, apud quos Solẽ in ſumma veneratione habitũ eſſe atque adeò etiã adoratũ nemo ignorat. Cum igitur & ab Aegyptiis idem fieri conſueuiſſe ſciamus, & Aegyptum diuinarum ceremoniarum & religionum omnium quaſi quoddam ſeminarium fuiſſe ſcriptores tradant; & in ea Regem Mitram regnum obtinuiſſe Plinius afferat, veriſimile eſt, huiuſmodi vocem ab Aegyptiis potius, quàm à Perſis originem habuiſſe.

buiſſe. Cum præſertim Phœnices hoc nomine vſos eſſe videamus. Seruius Grammaticus ad illud ex primo Aeneidos: *Huic coniux Sichæus erat. Quoties* (inquit) *poeta aſpera inuenit nomina, vel in metro non ſtantia, aut mutat ea, aut de his aliquid mutilat. nam Sichæus Sicharbas dictus eſt: Belus Didonis pater Mithres.* hæc Seruius. Scimus autem Didonem ex Vrbe Tyro, quæ totius Phœniciæ Emporium erat, & finibus ſuis Aegyptum propemodum attingebat, in Africam ſe contuliſſe, in qua Carthaginem condidit. Cæterum de Mithre, ideſt de Solis cultu, à Lactãtio grammatico in extremo primo commentatio in Statij Thebaidem nonnulla dicuntur, quæ ſcitu digna cum ſint, hoc in loco prætermittere noluimus. verſus autem quos interpretatur, quoſq́. ab Adraſto Argiuorum Rege hymnum Apollini can ente referri Statius facit, hi ſunt:

Adſis è memor hoſpitij Iunoniaq́. arua
Dexter amer, ſeu te roſeum Titana vocari
Gentis Achæmeniæ ritu, ſeu pręſtat Oſyrim
Frugiferum: ſeu Perſei ſub rupibus antri
Indignata ſequi torquentem cornua Mitram.

Ad quæ verba ait Lactantius, Apollinem à varijs gẽtibus variis nominibus fuiſſe cognominatũ: ab Achæmeniis ſcilicet Titanem: Ab Aegyptiis Oſyrim: Mitrã à Perſis, apud quos ad hanc rationem coleretur: Leonẽ fingebãt Perſica veſte indutum cum tiara, qui vtraquè manu reluctantis Tauri cornua comprimeret, & contorqueret, idque ſignum in antro concluſum religiosè

cole-

colebãt, quòd leo Solem, taurus Lunam ſignificaret, quæ lucem à Sole cum mutuetur, quantoq́ longius ab ipſo abſit, tanto magis ipſa luceat, reluctari quodammodo videtur, & omni conatu obniti, ne cũ Sole coniungatur, aut coniuncta cum ſit, ne diutius in eo ſtatu permaneat, in quo neque ipſa à nobis videri poſſit, neque Solem interdum videri patiatur: cum ſcilicet inter Solem & aſpectum noſtrum ipſa ſe interponit. Ideoq. in antro non ſub dio vnà cum Sole colebatur. Mitram igitur cum conſtet Solem eſſe, & id nomen ab Aegyptiis regibus vſurpatum; conſtare etiam par eſt, cur in vetere Obeliſco Rex Rhamiſes, modo Apollo, modo Solis filius nominetur; quando Aegyptij Solem, ab Apolline diuerſum eſſe uoluerunt; hoc eſt Solem patrem; Apollinem filium ἀλληγορικῶς ſignificantes Solem vi ſua facultatem in hominum animis, atque adeò in ipſius terræ viſceribus diuinatricem procreare: quã veteres Apollinem vocauerunt. Itaque oracula nõ Soli, ſed Apollini tribuebantur, vt Apollinem inde Solis filium, non imperitè nominauerint. Cæterum quòd ad Obeliſcos pertinet, vt ad rem propoſitã reuertamur, Mitres, quemadmodum ſupra dictum eſt, omnium Aegyptiorum Regum primus in Solis vrbe, quàm etiã Heliopolim vocant, vbi ipſe regnabat, Obeliſcum inſtituit, in eoque inciſis Aegyptiacis notis teſtatus eſt, id eſſe ab ſe factum, quod vt faceret in ſomnis admonitus fuiſſet. hunc poſteà conſecuti alij Reges in eadẽ vrbe alios Obeliſcos ſtatuerunt: inter quos Sochis, cu-

ius

ius etiã meminit Strabo lib. xvi. Geographiæ, quatuor omnino numero ſtatui curauit. Quorum longitudinem quadragenis octonis cubitis metiebantur. Rhamiſes verò, quo regnante Ilium captum fuiſſe ſcribit Plin. duos, quorum prior altitudine quadragenum cubitorum, poſterior vndecentenum pedum; latitudine auté cubitis quatuor. quo quidem in loco cùm Plin. dicat Rhamiſem digreſſum inde, vbi fuit Mneuidis Regia, cum Obeliſcum, de quo proximè loquebamur, poſuiſſe, quæ de huiuſmodi loco mihi in mentem veniant proferre, & cum aliis communicare nõ pigebit, vt ſtatuere poſſimus locus hic integer ne ſit, an mendoſus. Strabo igitur lib. xvij. ſcribit Mneuim bouem eſſe, quem Memphitæ Apim vocent, eumq́; & coli ab Heliopolitanis, & Deum haberi, illiq́. ſeptum attributum eſſe, in quo publicè aleretur. Quare aut Mneuidis Regiam pro ſepto illo accipi oportet, aut loco Mneuidis reponendum eſt Memnonis, de cuius Regia ſic idẽ Strabo: ὑπὲρ δὲ ταύτης ἡ ἄβυδος, ἐν ᾗ τὸ μεμνόνειον βασίλειον θαυμαστῶς κατεσκευασμένον ὁλόλιθον τῇ αὐτῇ κατασκευῇ ᾗπερ τὸν λαβύρινθον ἔφαμεν, οὐ πολλαπλοῦν δέ hoc eſt: *Supra hanc eſt Abidus, in qua Memnonis eſt regia, mirabiliter ſubſtructa, tota ſcilicet ex lapide: quemadmodum labyrinthũ eſſe diximus; ſed tamen nõ tam multiplex.* Ac de hac quidem Regia idem Strabo non ita multò poſt, ſe hæc & audiſſe & vidiſſe teſtatur, cum eò Cornelium Gallũ ſecutus eſſet, eſſe ſcilicet illic Coloſſos duos, quorum alter terræmotu corruiſſet; alterum, qui adhuc ſtãs in-

teger ſeruaretur, ſemel ſingulis quibuſque diebus ſonitú edere, quaſi percuſſum, ab ea videlicet parte, quæ baſi proxima eſt; eumdemque ſe inaudiſſe circiter diei horam primam, cum illuc eius miraculi cauſa ſe contuliſſet: in quo tamen dubitare ſe fatetur, vtrum is ſonitus ſponte ab ipſa ſtatua edatur, an aliquo eorum hominum artificio: cum veriſimile non ſit ex lapidibus ita coagmentatis, nulla extrinſecus accedente vi, crepitum fieri. Quamquam Cornelius Tacitus homo alioquí parum ſuperſtitioſus, & nihil omnino religionibus addictus, de eadem ſtatua ſic loquitur, verum vt eſſe exiſtimare videatur, quod vulgò homines aſſerebãt: vocalem ſcilicet ſonum reddere, vbi Solaribus radiis icta eſſet. De quo quidem miraculo Plinius lib. xxxvi. cap. vii. ſic ſcribit: *Non abſimilis illi narratur in Thebis delubro Serapis, vt putant, Memnonis ſtatua dicatus. quē quotidiano Solis ortu contactum radijs, crepare dicunt.* & Iuuenalis etiam Satyra xv. *Dimidio magicæ reſonant vbi Memnonis chordæ.* Quoniam autem ex eodem Strabone Memnonis regiam Thebis fuiſſe conſtat, & hoc in loco Plin. de Thebaico Obeliſco loquitur; facilè in eã opinionē venio, vt pro Mneuidis, reponi debeat, Memnonis: cũ præſertim Mneuim ἐν τῷ σηκῷ, ideſt in ſepto, non ἐν τῷ βασιλείῳ, ideſt in Regia ali conſueuiſſe ſciamus. Diſceſſiſſe igitur Rhamiſem Heliopoli, & Thebas ſe contuliſſe intelligere nos oportet; vbi prope Memnonis regiam, vel in ipſa regia Obeliſcum illum ſtatuerit: in cuius altitudine tradenda ſuſpicor Plinij

verba

verba eſſe corrupta. Quomodo enim fieri poteſt, vt is lapis Obeliſcus ſit, cuius latera in ſenos pedes pateant, altitudo in vndenos tantum aſſurgat? & quoniam facilis lapſus eſt in numeris, in quibus & apud Plinium, & apud alios erratum ſæpiſſime deprehendimus; non temere fortaſſe à nobis fiet, ſi pro vndecenis, vndecentenis repoſuerimus. ſic enim fiet, vt eius altitudo ſexaginta ſex cubitorum ſit, latitudo quatuor. Et ita etiam locũ Plinij legit Polydorus Virgilius. quod à me poſtquam locum reſtituiſſem, animaduerſum eſt. Et ſanè ridiculum foret in tantulo opere XX M. hominũ fuiſſe defatigata, quemadmodum Plinius teſtatur eſſe factũ. cum mirum etiam videri debeat in Obeliſco ſexagenũ ſenum cubitorum faciendo, tot millia operarum fuiſſe ab eo Rege adhibita, vt ad eius calculi rationem in Caiano Obeliſco excindendo & conformando triginta millia trecenti triginta tres & amplius homines ſe exercuerint. erat enim centenum cubitorum, antequã frangeretur, vt ſuo loco demonſtrabimus. Illum autẽ tanti ſibi eſſe faciendum Rex exiſtimauit, vt, cum ab Architectis atque Artificibus eſſet ſtatuendus, vereretur q́. ne tanto ponderi ſubſtollendo ac ſubſtinendo machinæ, quæ adhibebantur, non ſufficerent, molesq́. illa collapſa frangeretur, ad ipſius Obeliſci apicem filium ſuum adalligari iuſſerit, cuius tanti periculi metu architectis iniecto, interiore cura ſalus lapidis ab illis procuraretur. quod & factum eſt. Ex quo patet, quanto in honore huiuſmodi moles apud Aegyptios

reges haberetur, quantumq́. illi errare videantur, qui Obeliſco Pyramidis nomen imponunt; cum Obeliſci inter dona, quæ Diis immortalibus dabantur in templis ſtatuerentur, & ἀναθήματα à Græcis vocarentur; Pyramides vero inter regum ſepulchra numerarentur; quarum aliæ tribus, aliæ quatuor lateribus, & iis omnibus modò inter ſe æqualibus, modò inæqualibus conſtarent ſic, vt nonnullæ latitudine contractiores eſſent, longitudine porrectiores; omnes autem à latiſſima baſi ſurgerent. Obeliſci verò eadem ſemper forma, hoc eſt quadrangulari fingerentur, atque ab infima ſui parte minus ampli & ſpacioſi cum exiſterent, ipſo aſpectu pulcherrimi videbantur, & omnium admiratione & cultu digniſſimi: id quod in obeliſco, quem in area Vaticani Xyſtus V. Pont. Max. ſtatui iuſſit, aſpiciendo ſic experimur, vt ab eo oculos auellere ac reuocare nequeamus, indeq́. illud, quod vetere prouerbio iactatur veriſſimũ eſſe intelligamus. nam quæ tanta ac talia opinione omniũ exiſtimabãtur, vt ab omnibus laudari, & ſempiternæ memoriæ mãdari mererẽtur, ea ἄξια ὀβελίσκου dicerẽtur. Quãobrẽ Cambyſes, qui Aegyptũ aggreſſus Dijs hominibuſq́. bellum indixerat, & cuncta igne, ac ferro ſibi illic eſſe deuaſtanda ſtatuerat, cũ Thebas expugnaret, atque incendium, quo ædificia conflagrabant, ad Obeliſci crepidines perueniſſet, ne tam pręclara atque adeò adfabrefacta moles excocta collaberetur, ignem extingui iuſſit: & quorum vitę nõ pepercerat, eorum operi pepercit, aut religione impedi-

F tus,

tus, aut, vt cum Plinio loquar, tam eximiæ molis reuerentia commotus. Quamquam aliter omnino Straboni viſum eſt, qui Cornelium Gallum in eam prouinciam ab Auguſto miſſum ſecutus Aegyptum peragrauit, omniaque diligenter inſpexit, & nobis fideliter enarrauit. Eius hæc ſunt verba ex XVII. lib. Geographiæ in hunc locum à nobis translata: *Nunc autem ea vrbs* (de Heliopoli loquitur) *planè deſerta eſt, in qua templum viſitur vetere Ægyptiorum more exædificatum: quod quidem permulta cùm inſaniæ, tum impietatis, qua Cambyſes pręditus fuerat, indicia præſefert: quippe qui partim igne, partim ferro templa omnia circumcidēs, atque amburēs deuaſtabat: quemadmodum etiam Obeliſcos, quorum duo Romam delati ſunt, non omnino illi quidem malè habiti ac protriti: alij verò in eadem vrbe ac Thebis, quæ nunc Dioſpolis, id eſt Iouis vrbs, appellatur, partim ſtantes & vehementer ab igne ambeſi, partim humi iacentes conſpiciuntur*. hæc Strabo. ex quibus conſtat, nullos fermè huiuſmodi Obeliſcos Romam fuiſse ex Aegypto aduectos, qui non eſsent aliqua ex parte læſi. Quamquam poſtea (vt par eſt credere) Imperatorum, qui inuehendos curauerant, iuſsu ac diligentia, quantum ab artificibus fieri præſtarique potuit, in priſtinam formam dignitatemque reſtituti. Scribit idem Plin. alterum à Smarre, alterum ab Heraphio nullis inſcriptum notis poſitum; quorum vterque eſset quadragenum octonum cubitorum, eiuſdem ſcilicet longitudinis, qua is eſt, quem in Circo ſuo Caligula ſtatuit. De Smarre autem,

tem, atque Heraphio Aegypti regibus, nihil quod ſciã, ab auctoribus memoriæ proditum eſt: niſi ſi eumdem eſse Smarrem, & Smendim velimus, quem Euſebius viginti ſex annos Aegyptiis imperauiſse ſcribit, ante Aegyptum videlicet à Cambyſe captam, & in ſeruitutem redactam annis plus minus quadringentis ſeptuaginta. legimus præterea Nectabim regem ingẽtis magnitudinis, nimirum octoginta cubitorum Obeliſcũ excidiſse, in eoq́. nullas notas incidi curauiſse, quem Aegypti rex is, qui libros diuinam ſcripturam complectẽtes ex Hebraico in Græcum ſermonem per ſeptuaginta interpretes ab Eleazaro Iudæorũ Pontifice Hieroſolyma euocatos; & in bibliotheca penè innumerabilibus cuiuſcumque facultatis & ſcientiæ libris à ſe inſtructa habuit, Ptolemæus inquã Philadelphus Alexandriæ in Arſinoe munus amoris erga coniugem, eãdemq́ue ſororem ſuam Arſinoen ſtatuit. Quamquã in deuehenda in eam vrbem, ſtatuendaq́ue tam ingenti mole, multo magis laboratum fuit, quàm in excindenda. Sunt enim qui dicant à Satyro architecto: vnica rate Alexandriam aduectam: alij à Phœnice foſſã vſque ad eum locũ, vbi exciſus Obeliſcus iacebat, è Nilo perducta, duas naues in latitudinem patulas ædificatas eſſe, quarum vtraque eiuſdem ponderis pedalibus lapidibus onerata Obeliſcum vtrinque extremis partibus ſuis ripas coniungentem ſubiret: atque ita cum ſubiiſſet, lapidibusq́ue illis egeſtis, quibus ad iuſtam menſuram perinde atque ab Obeliſco deprimebatur, alle-

uata eſſet, Obeliſcum exciperet, deueheretq́ue, quò deuehi oporteret. Illum poſtea Maximus quidam pręfectus Aegypti Alexandriæ in forum iuſſu translatum ſuo ſtatuit, cacumenq́ue recidit, vt auratum faſtigium adderet, quod tamen poſtea non fecit. In eadem vrbe duo in portu ad ædem Cæſaris quadraginta duorum cubitorũ poſiti ſunt, quos excindi curauerat Rex Aegypti Meſphees, quem arbitror ab Euſebio Mephrem nõminari. is ab anno mundi IIIMIↃXXXVI. ad tria millia quingẽta quadraginta octo in Aegypto duodecim annos regnauit, annis ſcilicet ante Cęſaris dominatum mille ſexcentis quatuor. eorum alter humi deiectus & comminutus eſt, alter etiam nunc in eodem loco (vt ferunt) erectus cõſpicitur, in quo primum ſtatutus fuerat. Cæterum quod ad Obeliſcorum magnitudinem pertinet, omnium maximi duo Thebis viſebantur à Seſoſtride excitati, centum viginti cubitorũ altitudine, & Deo qui illic præcipuè colebatur (vt inquit Diodorus) dedicati. eum autem fuiſſe Iouem ex Strabone diximus. in ijs vero Seſoſtris & copiarum magnitudinẽ & vectigalium multitudinem, & earum nationum numerum, quas armis debellauerat, & in poteſtatem redegerat ſuam, notari inſcribiq́ue curauerat. cui cùm in Regnum ſucceſſiſſet Phero, ſic enim ab Herodoto appellatur: quamuis auctore Diodoro ipſe ſe Seſoſtridem ex patris nomine, vt ſupra diximus, cognominari voluerit, duos & ipſe Obeliſcos fecit altitudine centum cubitorum, latitudine octo: eosq́. in vrbe Helipoli

liopoli ſtatuit Soli conſecrtos. cuius rei cauſſam Herodotus, & item Diodorus percenſent, fabuloſam illá quidem, ſed quæ veterem Aegyptiorum ſacerdotum ac Regum ſuperſtitionem nobis mirificè ante oculos ponat. Excreuerat Nilus ad inuſitatam magnitudiné, & agros vndique aquis multo maioribus, quàm quémadmodum quotannis ſtatis diebus facere cóſueuiſſet, circumfuſis occupauerat. Pheroitaque in amnem iaculum contorſit, ob quod impiè commiſſum facinus oculis excæcatus eſt. cumq́. nihil à medicis excogitari poſſet, quo viſum recuperaret, ad implorandàm Deorum opem confugit: quos tametſi compluribus ſacrificiis, atque omni cultu nouem ipſos annos propitios ſibi reddere perſeueraſſet; numquam tamen quidquam impetrare potuit, quamobrem à tanta calamitate liberaretur. decimo tandem anno admonitus ab oraculo eſt, vt & Deum quem Heliopolitani colerent, piè ſanctéq́. veneraretur, & alicuius fœminæ lotio faciem ſibi purgaret & laueret, quæ cum viro tantum ſuo conſuetudinem habuiſſet. ergo ille facto ab vxore ſua initio cum multas fruſtra expertus eſſet, vnam tandem cuidam olitori nuptam adinuenit, à qua ſanatus eſt, eámq́. ille recuperato viſu poſtea vxorem duxit; cæteras omnes vno in loco concremari iuſſit: quem locum Aegyptij è re nata ſacram Glebam nominarunt. & Phero, vt ſe memorem accepti beneficij teſtaretur, Deoque gratias ageret, quas poſſet maximas, iuxta præceptum oraculi duos Obeliſcos Heliopoli ex ſolido atque vnico la

pide exciſos & conformatos, de quibus paulò ante loquebamur, conſecrauit: qui cum ingentes eſſent, minores tamen viginti cubitis erant ijs, quos eius pater Seſoſtris Thebis erexerat: quos ſi cum eo, qui in Circo Caij & Neronis poſitus fuerat, comparemus; ſexquiduplo maiores adinueniemus, vix vt credibile ſit, tam ingentis ac portentoſæ magnitudinis ſaxũ vllo ex monte excindi potuiſſe. Eorum autem, quos à Pherone fuiſſe Soli dicatos diximus, neutrum, ſi Plinio & Ammiano fidem habemus, Auguſtus Romã detulit, ſed vtrũque vel religione, vel molis magnitudine impeditus ac deterritus reliquit. nam quem ille ab Heliopolitanis acceptum, & in vrbem deuectũ in Circo Maximo ſtatuit, à rege Semneſerteo exciſum fuiſſe teſtatur Plinius: quo regnante Pythagoras in Aegypto fuit. Seſoſtris autem & Phero eius filius annis ante ducentis ſexaginta Aegyptiis imperarunt. præterquã quod Pheronis Obeliſci centum quinquaginta pedum, hoc eſt centum cubitorum fuerant: Auguſti autem Obeliſcus in Circo poſitus centum viginti quinque pedum & dodrantis, præter baſim eiuſdem lapidis: niſi forte ſuſpicemur Diodorum & Herodotum in metiẽda Obeliſcorum altitudine etiam baſes complexos eſſe. Qua ratione non omnino inter ſe illi ac Plinius diſſentire viderentur. Sed huic coniecturæ vehementer refragatur, quòd P. Victor hunc Obeliſcum in Circo Maximo ab Auguſto poſitum eſſe ſcribit pedum octoginta octo ſemis; alterum autem, de quo paulò poſt dicendũ

eſt,

eſt, pedum centum triginta duorum. quòd ſi Plinium cum P. Victore idem dicere velimus, neceſſe eſt, vt Plinianæ menſuræ baſim adiiciamus altitudine ſex pedum & quadrantis: quæ baſis cum depreſſior omnino ſit, quàm tantam molem deceat; non video, quid hac in re aliud afferri poſſit ad huiuſmodi ſcriptores inter ſe conciliandos, quàm opinari aut non eiuſdem magnitudinis pedes apud Plinium & Victorem eſſe, quod ridiculum eſt; aut, quod facillimum eſt, numerorum notas apud alterutrum, vel etiam apud vtrumq; à librariis fuiſſe corruptas. Vtcumq; igitur ſit, Auguſtus duos Obeliſcos Romæ ſtatuit, alterum in Circo Maximo à Semneſerteo rege exciſum, quo regnante Pythagoras, vt diximus in Aegypto fuit, ſi Pliniū ſequamur; nam Euſebius non Semneſerteum, ſed Anamaſim in Aegypto regnauiſſe, tum ſcribit, cùm eò Pythagoras ſe contulit: alterum in Campo Martio, quem Seſoſtris, vt ille inquit, exciderat, eumq́. nouem pedibus minorem fuiſſe teſtatur, hoc eſt pedum centum ſexdecim, & dodrantis. atque hic etiam Plinius à Diodoro longiſſimè diſcedit. quippè qui, vt ſupra diximus, Obeliſcos duos à Seſoſtride poſitos ſcribat centenum vigenum cubitorum, hoc eſt pedum centum ſexaginta, maiorem ſcilicet hoc noſtro Pliniano pedibus quadraginta tribus & quadrante; quem ſi Seſoſtris fabricatus eſt, aut alium ab iis duobus fuiſſe oportet, cuius nullam fecerint mētionem neque Herodotus neque Diodorus; quando ne illorum quidem duorum, quos ſtatuit Seſoſtris Hero-

rodotum vſquam meminiſſe videmus: aut alterius regis fuerit neceſſe eſt; cuius in tradẽdo nomine vel Plinius errauerit, vel librariorum culpa mendum inſederit. Cæterum cuiuſcumque fuerit, nam à Seſoſtride excisum adduci non poſſum, vt credam; quando illum Regem gloriæ appetentiſſimum fuiſſe legimus, vſque adeò, vt inſcriptos victoriarum ſuarum cippos innumerabiles reliquerit, & ſe totius orbis terrarum dominum appellauerit; quare veriſimile non ſit, eum hac vna in re ſic ſe geſſiſſe, vt à ſuperioribus Aegypti Regibus vinceretur. Sed tamen cuiuſcumque fuerit inſcriptam habebat, quemadmodum etiam is, qui in Circo Maximo ab Auguſto fuerat poſitus, præter rerum naturæ interpretationem, & philoſophiæ documenta res planè diuerſas ab iis, quas in altero Obeliſco poſterius in Circum maximum inuecto Aegyptiis notis inciſas ſupra demonſtrauimus, ſui etiam vſum admirabilem ad deprehẽdendas Solis vmbras dierumq́ue ac noctiũ magnitudines præſtabat. Nam cum Romani veteres Hetruſcos imitati initium diei à media nocte ordirentur, eumque meridie, ideſt ſexta diei ſequentis hora terminarent, ac propterea fieret, vt in duodenas horas & nox & dies diuideretur, ipſæq́ue horæ eſſent inęquales, prout Sol ab æquinoctiis vel propius, vel longius diſcederet; neceſſariò ſequebatur, vt quota hora eſſet ex umbris vel decreſcentibus vel augeſcentibus deprehenderetur. Neque enim quiſquam tam hebes eſt, qui neſciat ſolſtitialium dierum ſextam horam breuiſſima

vmbra

vmbra deſignari: contra verò brumæ longiſſima, ſi cū cæterorum dierum meridie comparetur. atque vt vmbræ certioribus finibus terminatæ in terram iacerētur, regulasq́. ipſas ex ære ſtratis lapidibus incluſas euidentius attingerent, Manlius Mathematicus eius Obeliſci apici inauratam ſphæram addidit: cuius vertice vmbra in ſemet ipſam colligeretur, & alia atque alia vel incrementa vel decrementa ſuo ipſius apice iacularetur. Sed hæc alterius operæ, non noſtræ, cum ſint, ambitioſiores omnino, quàm par eſt, exiſtimari poterimus, niſi miſſa faciamus. Ergo vt ad inſtitutū reuertamur, duo tantum Obeliſci Auguſto regnante Romam deuecti ſunt: cum primùm ſcilicet ipſe Aegyptū deuicto Antonio atque interempta Cleopatra in Senatus populiq. Romani ditionem redegiſſet. Nam quod P. Victor ſeptem numerat, dubium nō eſt, quin multis annis poſt Auguſti obitū in vrbem fuerint importati. eorum duo in Circo Maximo: vnus in Campo Martio: duo in Mauſoleo Auguſti: vnus in Caij & Neronis Circo: in Inſula Tiberis vnus, poſiti ſpectabātur: octauus in Salluſtianis hortis: qui ab æde Sanctæ Suſannæ, quæ in Monte Quirinali eſt, ad portam Collinā pertinebant, totamq́. interiectam vallem complectebātur. is, vt ferunt, Lunæ erat conſecratus, Aegyptiisque notis inſcriptus. & in iiſdem hortis humi proſtratus & confractus etiam num videri poteſt. Ac tot quidem Obeliſcos maiores Romæ fuiſſe colligimus ex Plinio, Ammiano, ac P. Victore: nō ignoramus tamen à Bartholomæo Mar-

liano, & à M. Fabio Caluo in deſcriptione Vrbis tres addi, quorum vnus in Circo Floræ, quem eundem cũ Salluſtiano eſſe arbitror; alter extra portã Exquilinam ſit, tertius in Circo Antonini Caracallæ. Sed nos eos percenſere voluimus, quorum mentionem à veteribus Scriptoribus fieri meminimus. Ridicula vero quæſtio eſt ea, quam à nonnullis anxiè tractatam video. Nimirum, cur Plinius ab Ammiano Marcellino diſſentiat, quòd hic plures, ille pauciores Romæ Obeliſcos numeret: quaſi verò difficillimum ſit ſcire, à Traiano, quo imperãte Plinius vixit, ad Iulianum, quem Ammianus regnantem vidit, interfuiſſe annos plus minus ducentos ſexaginta quatuor: quo temporis ſpatio Obeliſcorum, & maiorum & minorum numerus augeri facillimè potuerit: nam minores quidẽ quadraginta duos in Vrbe fuiſſe idẽ P. Victor teſtis eſt. ad eos igitur duos, quos Auguſtus ſtatuit, tertius additur à Plinio in Vaticano Caij & Neronis Principũ Circo; *ex omnibus vnus omnino fractus in molitione, quẽ fecerat Seſoſtridis filius Nuncoreus*. Hæc enim Plinij ipſius verba ſunt. qui eadẽ de re lib. xvij. cap. quadrageſimo. ita ſcriptũ reliquit: *Abies admirationis præcipuæ in naui, quæ ex Ægypto Caij Principis iuſſu Obeliſcum in Vaticano Circo ſtatutum, quatuorq. truncos lapidis eiuſdem ad ſuſtinendum eum adduxit*. Suetonius etiam in Claudio cap. xx. *Portum* (inquit) *Hoſtiæ extraxit circũducto dextra ſiniſtraq. brachio, & ad introitum profundo iam ſolo mole obiecta: quam quo ſtabilius fundaret, Nauem ante demerſit, quã*

magnus Obeliſcus ex Aegypto fuerat aduectus. haec Suetonius. ex loco Plinij, quem citauimus apertiſsimè conſtat, hunc tertium Obeliſcum, qui nunc quoque in Vaticano eſt, alterum ex ijs duobus fuiſſe, quos à Pherone Seſoſtridis filio ex oraculo Soli ob reſtitutum ſibi viſum fuiſſe dicatos, memorauimus. Cum ipſemet Plinius ad ea, quæ citauimus, verba hæc addat: *Eiuſdem remanet & alius centum cubitorum, quem poſt cęcitatem viſu reddito ex oraculo Soli ſacrauit*. Nihil itaque dubitari oportet, quin hic Vaticanus Obeliſcus, Pheronis Obeliſcus fuerit. quod ſi eſt, quemadmodum certe ex Herodoti, Diodori, & Plinij verbis inter ſe maximè conſentientibus conſtat, quando, præter eos duos, nullum alium à Pherone ſtatutum fuiſſe legimus; neceſſe profectò eſt, Obeliſcum Vaticanum in molitione fractum fuiſſe; aut cum in Aegypto humi deponeretur, aut cum iam in vrbem Romā inuectus in Circo Caij ſtatueretur. Nam vterque Pheronis Obeliſcus centenum cubitorum erat, hic autem, qui nunc in Vaticano eſt, quadragenum octonum eſt. vt maior eius pars fracta, & comminuta in molitione fuerit; ideſt cum vel è ſede ſua moueretur, vel in Circo Vaticano, vti diximus, ſtatueretur. moliri enim idem eſt, quod mouere, & ſubſtruere. Liuius lib. ix. *Num montes moliri ſua ſedę paramus?* & Virg. *Moliri iam tecta vident, & fidere terræ.* Vel etiam cum à Cambyſe ambuſtus ac deformatus à Caianis operis atque artificibus ad priſtinam integritatem ac dignitatem, quantum fieri poſſet, reſti-

tueretur; quod vt credam, Suetonij verba faciunt, in quibus Obeliſcum hunc Vaticani nominari magnum video. Neque enim ideo magnum fuiſſe appellatum arbitror eorum comparatione, qui parui ſunt, quales etiam nunc aliquot Romæ conſpiciuntur. ſed vt magnitudine iis, qui iuſſu Auguſti vnus in Circo Maximo, alter in Campo Martio ſtatuti fuerũt, longè præſtitiſſe intelligeretur. idq. ex huiuſmodi quaſi cognomine non defracto & comminuto, ſed de integro & adhuc vel Heliopoli ſtante, vel Romam primùm aducto accipi oporteret. nam alioqui non ipſe magnus cognominari debuit, ſed is, quem in Circo Maximo Auguſtus ſtatuerat, pedum octogenũ octonũ, hoc eſt cubitorũ quinquagenũ octonũ & beſſis. quod eo magis fieri par fuit, quòd qui in Campo Martio erat, perinde ac Vaticanus quadragenis octonis cubitis in altitudinem aſſurgebat; erátq. omnino ambo inter ſe magnitudine pares. huc accedit quòd nauis, qua ſuum Auguſtus vexerat, quamquam propter magnitudiné miraculi gratia Puteolis aſſeruabatur, multo tamen minor fuerat, quàm ea, qua Caius Cæſar Obeliſcum Vaticanum importauerat, omnibus, vt inquit Plinius, quæ vnquam in Mari viſæ eſſent, mirabiliore. Quando probabile eſt eam antequam operæ Obeliſcum è ſede molirentur, exædificatam fuiſſe ad eam magnitudinem, quæ & ſubſtinendo centenũ cubitorum Obeliſco, & Romam deuehendo par foret. Deinde ſi legendum apud Plinium eſt, *Factus imitatione eius quem*

fecerat Seſoſtridis filius Nuncureus. quęro, cuius rei imitatione? an figuræ? at omnes alij ſunt ad eamdem quadratæ trabis effigiem conformati. an quod vterque nullas notas inſcriptas haberet? at purus etiam, & ſine Hieroglyphicis is fuerat, quem à Nectabi rege exciſum à Ptolemæo Philadelpho Alexandrię fuiſſe ſtatutum diximus. Nam quod ad materiem pertinet, omnes ex eodem lapide conficiebantur. Supereſt ergo, vt imitatio ad magnitudinem referatur, quæ cum centenum cubitorum eſſet, neceſſariò concluditur Obeliſcum hũc Vaticanum parte maiore diminutum ad nos perueniſſe, aut certè tum confractũ eſſe, cum iam in Vrbem inuectum operæ Caianæ molirentur. Nihil igitur neceſſe fuit, locũ Plinij mutare, & Hermolaum Barbarum doctiſſimum hominẽ negligentię nomine non ſolum ſuſpectum reddere, ſed etiam indicta cauſa cõdemnare. eſt enim, niſi planè fallor, locus integer. in quo ſi quod mendum eſt, in eo eſt, quòd Seſoſtridis filium non Pheronem, neque Seſoſtridem, ſed Nuncoreum nominauit; quem Diodorus Vchoreum Vchorei filium vocat, & decem nouem ante Seſoſtridem ætatibus in Aegypto regnauiſſe teſtatur. Ergo aut librarij erratum eſt, aut ipſius auctoris μνημονικὸν ἁμάρτημα. cuiuſmodi nonnulla apud Ciceronem, atque adeò etiam apud Ariſtotelem legere licet: quæ quoniam ab alijs animaduerſa & notata ſunt, nihil neceſſe eſt, vt hoc in loco à me commemorentur. ille potius ſcrupulus eximendus eſt, qui nobis à Plinio ex iis verbis, qui-

bus

bus illic vtitur, iniectus videri poſſit. ait enim, *Eiuſdem remanet & alius centum cubitorum.* Nam cum alius dicatur à Latinis de pluribus, alter de duobus, videtur ſignificare, à Pherone Seſoſtridis filio nō duos, ſed plures Obeliſcos Heliopoli ſtatutos fuiſſe. quod quoniam hiſtoriæ refragatur, nos dicimus, alius, pro, alter, à Plinio fuiſſe vſurpatum: idq́. non ſine veterum exemplo. Salluſtius in Catilina, cum de Catone & Cæſare loquitur: *Genus* (inquit) *ętas, eloquentia prope paria fuere, magnitudo quoque animi & gloria: ſed alia alij*. hoc eſt, ſed alia Catoni, alia Cæſari. Et Virg. cum Troiani quærerent, quem cum Darete in pugilatu committerent, aliū non alterum dixit. *Quæritur huic alius* (inquit) *nec quiſquā ex agmine tanto, Audet adire virū.* & lib. vi. *Alius Latio iam partus Achilles*. & Cic. lib. vii. epiſt. *Habes Sardos venales, alium alio nequiorem*. Sunt & alia exempla, à quibus ſuperſedendum mihi eſſe ſtatui, ne in re valde nota diutius quàm par eſt verſari voluiſſe videar. poſſem quoque tueri hanc vocem, ea ratione fuiſſe hic à Plinio relatam non ad duos illos Obeliſcos à Pherone Soli cōſecratos, ſed ad multos alios, qui tum Heliopoli ſpectabantur ſtantes, aut etiam humi iacentes, quod in ſuperiore Virgilij exemplo fieri etiam poteſt. Si quis autem ſcire cupiat, quot annis ante Xyſtum V. Pontificem maximum Phero Seſoſtridis filius in Aegypto regnauerit; is fruſtra, niſi planè fallor, in re perantiqua & dubia laborabit. Si enim Euſebium & Diodorum ſequemur, Pheronem Seſoſtridis filium regnauiſse cō-

perie-

periemus anno poſt captã Troiam CCCXXXI. Nam inter Memphim conditam & Pheronem viginti ipſas ætates interfuiſse ſcribit Diodorus, hoc eſt annos ſexcentos, vt ſingulis ætatibus tricenos annos tribuamus, quod ab Herodoto faciendum eſse didicimus. Memphim autem conditam eſse conſtat ex Euſebio anno mundi IIIMIↃCCVIII. vel vt alij volunt IIMCCXXXVIII. Troiam vero captam IIIIMXX. qua ratione annorũ ſumma poſt captam Troiam LVIII. vel CCCXXXI. vti diximus, conficietur. Vt inter Xyſti V. Pontificatum & Pheronem anni ipſi interfuerint vel IIMCCCCLXXII. vel IIMIↃCXCIX. Quod ſi Ariſtoteli potius credendum eſse ſtatuerimus, & Valerio Flacco, Seſoſtridem & Pheronem multo ante Troianum bellum fuiſſe fateamur neceſſe eſt. Nam Ariſtoteles Politi. vij. Seſoſtridem longo temporum interuallo Minoe Cretenſium rege priorem fuiſſe teſtatum reliquit. Minos autem, vt Herodotus Polymnia ſcribit, tribus ætatibus, hoc eſt annis fermè centum Troianum bellum anteceſſit. Ex quo ſequitur aut Euſebij & recentiorum calculum falſum eſſe, aut Ariſtotelem deceptum id pro certo pronũtiaſſe, quod minus exactè ad calculum reuocauerat. Cum præſertim ab eodem Ariſtotele eodẽ in loco tribui Seſoſtridi videamus, quæ neque Herodotus, neque Diodorus vſquam tribuerunt. quanquam illius res geſtas diligentiſſimè perſecuti ſunt. Ego in lite tam perplexa, Amplius pronuntiãdum eſſe cẽſeo. Nam quod ad Valerium Flaccũ

pertinet, qui templum apud Colchos, ad quos Argonautæ peruenerant, fuiſſe ſcribit, in quo res geſtæ à Seſoſtride pictæ ſpectabantur, nullius momenti argumẽtum eſſe arbitror. Et ſi enim ex eodem Euſebio didicimus annis centum ante bellum Troianum Argonautas fuiſſe, qua ratione neceſſe ſit Seſoſtridem & Pheronem multis annis Troianum bellum anteceſſiſſe, nos tamen veritatem ex hiſtoria & Faſtis, non ex poetis petendam cenſemus; qui, prout illis commodum eſt, rerum & temporum ſeriem perturbant, vt cauſſam inueniant, qua granditatem fabulæ & actioni à ſe inſtitutę pariant. Vtcumque tandem ſit, iuuat me vel auctoritatis pondere, vel inclinatione voluntatis in eam partẽ propendere, quam video Ariſtoteli placuiſſe. probabilius enim eſt in tanto decurſu temporum, quæ nemo ex veteribus diſtinctè adnotauit, calculos falli quã virum illum diligẽtiſſimum ac doctiſſimum à vero aberrare. Sed nos hac in re diligẽtiores fuimus, vt vnicuique iudicium ſuum liberum relinqueremus. Supereſt nunc, vt de illo loquamur, quem multis poſt Auguſtum annis in Circum Maximum importatum legimus. Cum ille vel religione motus, quòd Soli præcipuè ſacratus eſſet, vel ponderis grauitate, & tãtæ molis magnitudine territus, intactum Heliopolitanis reliquerat. At Conſtãtinus, qui cum Conſtantio & Conſtante fratribus Romæ imperabat, è Solis templo auellendũ curauit. mox Conſtantino mortuo naui, quę trecentis remigibus agebatur, ad eum vſum comparata Ho-

ſtiam,

ſtiam, indeq. aduerſo Tiberi ad Alexandri vicum deiectus conſtitit, tribus ſcilicet millibus paſſuũ ab Vrbe diſtante. Ex quo loco per portam trigeminã in Circum Maximum ergatis ac trochleis actus eſt, ibiq. non ſine incredibili multorum artificum atque operarum labore erectus, illiq. inaurata ſphæra impoſita: quæ ſolaribus radiis percuſſa fulgorem longè lateque iaceret. Hic inter ſe videtur diſſentire. P. Victor & Ammianus Marcellinus. nam ille in deſcribẽda Circi Maximi regione xi. *Obeliſci* (inquit) *duo: iacet alter, alter erectus*. contrà Ammianus vtrumque erectum eſſe teſtatur. quod ſanè mirum videri poſſit, cum in eorumdem Imperatorum tẽpora incidiſſe ambos certum ſit. quæ tamen controuerſia penitus tolletur, ſi Obeliſcum illum diu in Circo Maximo, vt veriſimile eſt, iacuiſſe exiſtimemus, antequam ſtatueretur. quo iacente ſcilicet, P. Victor regionem illam deſcripſerit: Ammianus autem iam erecto & conſtituto hiſtoriam ſuam exarauerit. id quod ſi verum eſt, quemadmodum certè exiſtimari oportet, haud omnino ſine argumento cogitare poterimus, eos Obeliſcos, qui in Circo Maximo fuerant, confractos & comminutos eſſe, cum eos ſeu Barbaræ nationes, quæ in Vrbem irruperant, ſeu etiam ipſimet Romani humi deiecerunt. neque enim credẽdum eſt quemquam tum fuiſſe, qui ſibi tantos ſumptus in moliendis de ſede ſua, humiq. ſenſim deponẽdis huiuſmodi tam vaſtis molibus faciendos eſſe ſtatueret, quantos fieri oportuiſſe non ignoramus in de-

moliendo ac deponẽdo Obeliſco, quem in aream Vaticani transferri vidimus. Quod etiam cæteris omnibus Obeliſcis accidiſſe quis dubitat? præſertim cum videat eos, qui ad Auguſti Mauſoleum antea cum ſtarẽt, nunc ita proſtratos & comminutos, vt fragmenta tantum ſuperſint. Quorum, quoniam in mentionem incidimus, non erit à re propoſita planè alienum, ſi quæ de iis legendo obſeruauimus, vel coniectura conſequi potuimus, cum ſtudioſis rerum priſcarum hominibus communicauerimus. Primùm igitur nihil eſt, cur opinemur ab Auguſto fuiſse vel in Vrbem inuectos, vel eo in loco ſtatutos, quando neque Plin. neque Suet. eorum mentionem facit vllam, qui annis poſt Auguſtũ plus minus XXCIIII. Traiano ſcilicet & Adriano imperantibus hiſtorias ſcripſerũt ſuas: ſed ne Strabo quidem, qui ipſius Auguſti temporibus floruit, eorũ Obeliſcorum meminit, cum tamen Mauſoleum ita deſcribat, vt ambitioſè propemodum omnia perſequatur, quæ locum illum ornare atque illuſtrare videbantur: Neque, quod ſciam, quiſquam alius è veteribus meminit præter P. Victorem: qui duos Obeliſcos in Mauſoleo Auguſti fuiſse memorat, magnitudine pares, ſed cæteris omnibus, qui Romam inuecti fuerant, longè minores. quippequi quadraginta duorũ pedum & ſemis, hoc eſt cubitorũ viginti octo tantũ eſsent. Quorũ vnus, cuius fragmenta humi atque adeo in media ipſa via iacebant Xyſti V. Pont. Max. iuſsu auecta ſunt, atque ante hortos ſuos, quos in Exquiliis habet ante ædẽ

ſanctæ

ſanctæ Mariæ cognomēto Maioris in priſtinam Obeliſci formam concinnata. Alter adhuc eodem in loco poſt ædem beati Rocchi proſtratus & comminutus viſitur. Quod autem ad naues pertinet, quibus ex Aegypto in Vrbem importati ſunt, trium omnino auctores meminerunt: duarum videlicet Plinius: Ammianus vnius: & eas omnes maximæ cuiuſdam, ac portentoſę magnitudinis fuiſſe teſtantur. Nam eam, qua D. Auguſtus in priore Obeliſco ex Aegypto ad Vrbem vehendo vſus fuerat, miraculi gratia Puteolis naualibus perpetuis dicauit, ac mox incendium aſſumpſit. Multo tamen maiorem illam fuiſſe credimus, quæ Vaticanū Obeliſcum Hoſtiam importauit, de qua ſic Plin. *Abies admirationis præcipuę in naui, qua ex Ægypto Caij Principis iuſſu Obeliſcum in Vaticano Circo ſtatutum, quatuorq. truncos lapidis eiuſdem ad ſuſtinendum eum adduxit. Qua naue nihil admirabilius viſum in mari certum eſt. Cētum viginti millia modium lentis pro ſaburra ei fuere, lōgitudo ſpatium obtinuit magna ex parte Hoſtienſis portus latere læuo. ibi namque demerſa eſt à Claudio Principe, cum tribus molibus turrium altitudine in ea exædificatis, obiter Puteolano puluere, aduectisq.* deq. eadē idem Plin. cap. ix. lib. xxxvi. *Diuus Claudius* (inquit) *aliquot per annos aſſeruatam, quā Caius Cæſar importauerat, omnibus, quæ vnquam in mari viſę ſunt mirabiliorem, turribus Puteolano ex puluere ędificatis perductam Hoſtiam portus gratia merſit.* hæc Plin. quibus Sueton. his verbis aſſentitur. *Portum* (inquit) *Hoſtię extruxit circumducto dextra ſiniſtraq.*

ſtraq. brachio, & ad introitum profundo iam ſolo mole obiecta, quam quò ſtabilius fundaret, nauem ante demerſit, quâ magnus Obeliſcus ex Ægypto fuerat aduectus: congeſtisq. pilis ſuperpoſuit altiſsimam Turrim in exemplum Alexandrini Phari, vt ad nocturnos ignes curſum nauigia dirigerent. Atque hanc quidem nauem ex earum genere fuiſſe veriſimile eſt, quæ in longitudinem inſtar triremiū porriguntur. Si enim magnam oris Hoſtienſis portus partem demerſa occupauit, profectò neceſſe eſt longiſſimam fuiſſe, vt Ammianus magnificè potius & oratoriè dixerit, nauem illam ſuam, quæ ad Conſtantianum Obeliſcum ex Aegypto deferēdum ædificata eſt, inuſitatæ magnitudinis fuiſſe; idq. ex eo intelligi vult, quòd trecentis remigibus ageretur. Sed breuius omnino ille quidem, vel obſcurius potius locutus eſt, quàm res ipſa, de qua agebatur, poſtulabat: nos, quia nauem à Caio exædificatam ad Obeliſcum centenum cubitorum, omnium ſcilicet maximum, excipiēdum demōſtrauimus, in ea ſententia perſiſtimus, vt nullam aliam nauem cum Caiana naue comparari potuiſſe cenſeamus: cuius magnitudinem, ſi quis exactius ſcire deſideret, is ex obiectæ portui molis longitudinis dimenſione, quod haud difficillimè fieri poteſt; ſi non omnino quanta fuerit pro certo ſtatuere poterit, non longiſſimè tamen ab eo, quod quæret, aberrabit. Et quoniam Plinius cum de Caianæ nauis magnitudine locutus eſſet, ſubiicit hæc verba: *Alia ex hoc cura nauium, quę Tiberi ſubuehant: quo experimento palàm fuit, non minus*

uus aquarum huic amni eſſe, quàm Nilo. Videndum eſt, qua ratione concludat Tiberim eſſe æqualem Nilo. Nam quod quidam exiſtimauit Obeliſcum illum fuiſſe ab Helíopoli ad mare deuectum, cum Nilus excreuiſſet, & item Romam inuectum, cum Tiberis aquis auctus flueret, commentitium eſt, & nullius momenti coniectura. Neque enim fluminum altitudines inter ſe comparantur, cum imbribus, aut liquatis niuibus augentur: ſed cum ſuapte natura fluunt. Exiſtimare igitur oportet, eam nauem, ſeu ratem appellare malueris, qua Nilo ad mare deuectus, quaq; Tiberi in Vrbē inuectus Obeliſcus fuit, eiuſdem fuiſſe magnitudinis; aliter enim dignoſci non potuit Nilus ne an Tiberis ex ſua natura plenior flueret. Quare nō temerè ſenſiſſe videri potero, ſi locum Plinij mendoſum eſſe; & in eo aliquid deſiderari dixero, ex quo nauem, qua Tiberi ſubuectus Obeliſcus eſt, parem illi fuiſſe intelligamus, qua Nilo antea ad mare deuectus fuit. Huiuſmodi autem nauem multo maiorem fuiſſe Obeliſco, quę vehebat, neceſſe eſt. neque enim aliter tanta moles à flumine ſuſtineri potuiſſet. Sed hanc omnem curam & cogitationem ijs relinquamus, quorum ad facultatem pertinet ratiocinari, quibus artificiis, quibusq; machinis quæq; moles ac pondera ſuſtineri & perferri ſine offenſione poſſint. Atque his ita ſe habentibus illud mirari libet, quòd Theophraſtus Ariſtotelis auditor, & vir in primis doctus & grauis in eo libello quem περὶ λίθων ſcriptum reliquit: in Aegyptiorum Sacerdotum

tum commentarijs memoriæ mandatum teſtatur, eorum regi à Rege Babylonio muneris loco miſſum Obeliſcum ex Smaragdo quatuor cubitorum longitudine, latitudine trium. præterea fuiſſe apud eos in Iouis delubro alterum Obeliſcum è quatuor Smaragdis compoſitum & concinnatum, quadraginta cubitorum lon gitudine, latitudine verò in parte quatuor, in parte duorum. Quod ſi verè à Theophraſto atque ex hiſtoriæ fide traditum eſt; cur non etiam credamus, quod Apion cognomento Pliſtonices ſcriptũ reliquit? Fuiſſe ſcilicet in labyrintho Aegypti Coloſſeum Serapim è Smaragdo nouem cubitorum. Vt ſi Smaragdi magnitudinem ſpectemus, mirari minimè libeat Genuenſiũ patinam, quam illi hodie ex Smaragdo confectam, & in ſacrario aſſeruatam hoſpitibus venerabundi oſtendunt. Sed hæc πάρεργα. Ergo ijs omiſſis ad Obeliſcum redeamus, & hanc ſcriptionem noſtram aliquando tan dem ſuis finibus terminemus. Dictum à nobis ſuperius eſt, Obeliſcum, quamquam eum Mitres primus inſtituit, vt ſomnio ſatisfaceret, poſse tamen ex figura qua conſtat piè ſanctéq. ad hominum mẽtem in Deũ ſe ſe erigentem ἀλληγορικῶς referri. quemadmodum enim radij ſolares eo latius diffunduntur, & pateſcũt, quo longius à ſole abſunt: coeunt autem in vnũ quaſi punctum cum in auctorem & parentem ſuum Solem deſinunt; ita Obeliſcus cuius quatuor latera quatuor totius orbis terrarum partes ſignificant, cum ab infima ſui parte latè pateat, paulatim gracileſcit, donec

acu-

acutiſſimo apice terminetur. Ad cuius imaginē mens noſtra, ſi ſe in varias curas diſtrahi ſinat, & humanis affectibus affixa hæreat, numquam ſe colligit, ſed ſi vſu veniat, vt ab huiuſmodi cogitationibus, atque ab honorum ac diuitiarum, aliarumq́. terreſtrium rerum cupiditatibus ſeparare ac diſiungere ſe incipiat, non conſiſtit illa quidem donec in altum paulatim erecta & acutior facta, Deum inuenit, in eoq́. tota immergitur & conquieſcit. Sed hanc partem quæ ad ἀλληγορίαν pertinet, quoniam ab aliis & acutè & copiosè tractatam video, conſultò prætermittam. Illud tamen quod huius ſcriptionis noſtræ proprium eſt, ſi tacuero; fortaſſe id feciſſe videri potero, quod iure optimo in multorum reprehenſionem incidere debeat. Dicimus igitur Xyſtum V. Pont. Max. incredibili ſapientia duas res potiſſimum videri ſecutum eſſe, cum in eam mentem venit, vt tam inſignem Obeliſcum in patentem locum importaret, eiusque apici crucem imponeret: quarum altera eſt, vt vno eodemq́. tempore eum ſe eſſe oſtenderet, qui & beneficentiſſimi patris, & ſummi Principis; altera, qui religioſiſſimi Sacerdotis & Pontificis Maximi perſonam gerere ſe non ignoraret. itaque animum ad exornandam Vrbem & ad pietatem in hominum mentibus imprimendā conferre oportuit: ſi tantorum nominum pondus & maieſtatem laudabiliter ferre & tueri voluiſſet. Neque enim quidquam expectari tum à Patre & Principe, tum à Sacerdote & Pontifice maius poteſt, quàm & in populū gratuita caritas; & pu-

& publicorum operum inſignis magnificentia & vitæ innocentia ſingularis, & Chriſtianę pietatis in quaque re ſtudium incredibile. In quibus quidem omnibus omnium bonorum opinione & conſenſu tantus extitit, quantus ne deſiderari quidem à quoquam vel potuit vel debuit. Quippe qui cum primùm eſt à Patribus Pontifex nominatus & ſicarios, qui tú in ipſa Vrbe, tum in cæteris Italiæ partibus impunè graſſabâtur; ſubſtulit funditus; & ingraueſcentem in dies annonā ſua pecunia, & ea quidem ingenti, ſubleuauit: & mores re ipſa ſic correxit, vt piè ſanctéq. omnes ſibi eſſe viuendum duxerint: Vrbem verò patefactis ac directis vijs commodiorem & pulchriorem reddiderit: quibus ad religioſiſſima quæque Sanctorum templa ſine vlla moleſtia, immo etiam cum incredibili animi voluptate iri à ciuibus & peregrinis poſſit. Quirinalem Montem repurgatis fontium riuis, & itineribus eorum, ad perennem vſum ingenti ſumptu apertis, & confectis, perque ea ſaluberrimis aquis, & copioſiſſimis in Vrbē introductis, mirabiliter excoluerit. vſque adeo ſcilicet, vt qui illic hortos habent, nō iam de hortis ad voluptatem inſtruendis, ſed de ædibus ad familiarem & quotidianum vſum ædificandis cogitent. Templa verò & ſacella, quæ vel temporum iniuria, vel hominum negligentia aut labebantur, aut minus certè iam frequentari cœpta erant, magnificentiſſimè inſtaurauit. Aedes Lateranenſes in monte Cælio, quas Silueſter, aliique ſanctiſſimi Pontifices habitarunt, cū ſitu & ſqualore obdu-

obductæ viſerentur, partim parietibus & porticibus à fundamentis excitatis, partim ambulacris & conclauibus in priſtinam dignitatem & vſum reſtitutis; effecit, vt & eorum locorum quaſi quadam admonitione incolumis ſeruaretur memoria, eorumque propemodum aſpectum oculis illi vſurparent ſuis, qui templum illud auguſtiſsimum religionis cauſſa, aut ſtatis anni diebus, aut alio quouis tempore plurimi ex omnibus adeunt nationibus. Nam cum illic illi ipſi ſcalarũ gradus ſint ex Hieroſolymis in Vrbem à Pijs Pontificibus atque Imperatoribus perlati, qui Chriſtum ſalutis noſtræ authorẽ in prætorium ad Pontium Pilatum aſcendentem, vt cruciaretur, ſuſtinuerunt; quique eius veſtigia, pene dixerim, impreſſa etiamnum reſeruant, & præterea cùm permulta alia, tum columnæ viſantur, quæ, cum idem Deus & homo moreretur, mirabiliter vnà cum templo à ſummo vertice ad imam partẽ ſciſſæ ſunt; turpe omnino videri poterat, quòd loco tam ab omni cultu derelicto haberentur. Et verò res ipſa non minus à bonis omnibus tacitè reprehẽdebatur, quàm eſſet apud exteras nationes in inſigni infamia; Romæ, in qua vrbe Chriſtiana pietas ſedem fixerit, tot hominum millia eiuſdem pietatis colendæ cauſſa morti ſe deuouerint, ſanctiſſimi Põtifices inhabitarint, ea propemodum contemni monumenta, quæ caſtiſsimè colere, & religioſiſsimè venerari oporteat. Id autem etſi in primis animo, & cogitatione fieri neceſſe eſt, tamen niſi externi etiam templorum, & piorum locorũ

 cultus,

cultus, atque ornamenta adhibeantur, ex quibus verã erga Deum pietatem mentibus infixam eſſe conſtet; paulatim eò res recidit, vt vnà cum locis ipſis pietas etiam ipſa, ſi non omnino contemnatur, in ea certè exiſtimatione non ſit, in qua diuina atque humana omnia præcepta & inſtituta ſemper haberi, & verò etiam eſſe voluerunt. Quemadmodum enim hominum intemperantiam non modo alunt, ſed etiam augent, atque identidem excitant ſigna, ac tabulæ, quæ ad venuſtatem & laſciuiam ab excellentibus artificibus & finguntur & pinguntur; ita eorumdem animos ad Dei Optimi Max. cultum atque ad piè ſanctèq. viuendum reuocant magnificæ templorum ac ſacellorum ſubſtructiones, religioſorum locorum ornatus non vulgares, qui quantumuis ingentes ſumptus faciẽdos eſſe indicent, quorum ope ad pietatem è media rerum humanarum cogitatione & voluptatum illecebris interdũ ſic reuocemur, nihil vt tam pretioſum eſſe apud nos cenſeamus, quod in primis vni ipſi Deo nõ debeatur. Optimè itaque factum quod vetuſtiſſimum illud ſanctiſſimorum Pontificum domicilium reſtituerit: quod eodem in loco veteres Eccleſiæ ritus ac cæremonias renouauerit: neque tantarum rerum memoriam paulatim intermori paſſus ſit; quæ propemodum obliteratæ ex hominum animis magno cum Chriſtianæ pietatis detrimento parum aberat, quin penitus interirent. Eò etiam pertinent Apoſtolorum duorum ſigna, Petri ſcilicet & Pauli ex ære mirabili artificio facta, & Co-

chlidibus columnis impoſita, quorum altera Traiani, altera Antonini Pij res geſtas lapideis imagunculis ad eas quaſi in Theatro quodam repræſentandas fictis, & conformatis complectitur. Quæ nos parari cum vidiſſemus, continere ἐνθουσιασμὸν non potuimus, quin his carminibus factum ſanctiſſimi Pontificis, vt mihi quidem videtur, pulcherrimum proſequeremur.

Quam quondam poſuere Patres Populusq́. columnam
Traiano ob victos pectora ſæua Getas,
Hanc Xyſti pietas Quinti ter maxima ſanctis
Subiecit pedibus Petre beate tuis:
Vt, quæ Barbaricis Vrbem teſtata potentem eſt
Gentibus impoſito colla grauaſſe iugo,
Hæc eadem parere tibi teſtetur & Vrbem,
Terrarum & quidquid maximus orbis habet.

Hæc in Traiani, quæ ſequuntur in Antonini Cochlidem ſcripta ſunt.

Quę Cochlidis moles nobis operoſa columnæ
Oſtentat valida bella peracta manu,
Atque Antonini, poſt regna euerſa Quiritum,
Seruat in inciſo marmore facta Pij:
Maximus hęc ſubter pedibus premit omnia Paulus,
Armatus libro Paulus & enſe manum.
Xyſtus enim Quintus, ſtatui ſic iuſsit, ad omnes
Clamet vt ex alto conſpicuoq́. loco,
Et vita inſonti, & doctrinâ, & fortibus auſis
Barbara ſunt Latio colla premenda iugo.

Et verò ſi Ariſtogitonis & Harmodij ſtatuę ab Athenienſi-

nienſibus in foro poſitæ, quòd Hipparco Piſiſtrati tyráni filio, eodemq. Hippię tyranni fratre interempto libertatem patriæ reſtituiſſent ſuæ, pręclariſſimū factum ciuibus in memoriam, quoties conſpicerentur, reuocabant, ſi idem apud Romanos Bruti illius, qui Tarquinios eiecit, ſignum in celeberrima Vrbis parte poſitum faciebat, ſi nobiliſſimæ quæq. familiæ maiorum ſuorum, qui Remp. præclarè geſsiſſent, imagines domi habebant propoſitas, quas eorum liberi ac nepotes intuentes eos imitarentur, quos illæ repræſentabant; ſi in nobiliſsimis quibuſque vrbium locis huiuſmodi ſexcenta alia proponebantur, picturæ, arcus, nauium roſtra, trophæa, columnæ, quæ poſteros illuſtrium facinorum identidem admonerent, neque è memoria cuiquam elabi paterentur, ſed accenderent potius, atque adeò inflammarent animos ad præclarè agendum; cur hoc quoque prudentiſsimè cogitatum non iudicabitur, his præſertim tēporibus, quibus maximè opus eſt, vt, quacunque re fieri poteſt, in Chriſtianis hominibus diuini cultus memoria renouetur, & ad irā Dei placandam aſsiduis precibus excitetur. Vtinam curam hanc vnam maiores noſtri, atque adeo Pontifices omnes ſuſcepiſſent, vt Deorum omnium imagines ac ſigna ex hominum oculis & memoriæ penitus tollerentur, ac pro iis eorum ſtatuæ, qui Chriſtianè, hoc eſt piè ſanctèq. viuendo in cœlum euocati ſunt, reponerentur. id enim ſi factum eſſet, longè melius Chriſtianæ pietati conſultum fuiſſet. Nunc autem eò ventum eſt,

vt

vt cũ ſummi alicuius Principis, aut viri alióquin opulenti ædes ingredimur, aut hortos ac villas adimus, ea ſigna & picturas paſsim conſpiciamus, quæ nos dubitare planè cogant, pietas ne illic Chriſtiana, an gentium, quas appellant, ſuperſtitio colatur. Quòd ſi hęc in priuatorum ædibus ferenda non ſunt, quanto minus in publicis areis, ac viis, atque adeò in ipſa Vrbe Roma, in quam omnes omnium exterarum nationũ oculi coniecti ſunt? quòd quæcumque hic fieri vel vident vel audiunt, eadem ſibi licere arbitrentur. Vt nõ immerito exiſtimemus eadem peccata grauiora eſſe, ſi à Principibus, quàm ſi à priuatis hominibus committantur. illi enim tanquam in Sole verſantur, & facilè reperiunt, immo etiam paratos ſemper habent quàmplurimos, quos exemplo ſuo corrumpant. Id quod nobis, qui in vmbra propemodum deliteſcimus, minus vſu euenire conſueuit. Prudenter itaque & hæc ſanctiſſimorum Apoſtolorum ſigna columnis Cochlidibus impoſita ſunt à prudentiſsimo Pontifice, & ea è Capitolij turre deiecta, quæ quaſi ex edito loco clamare videbantur, nondum impuros illos gentium Deos victos è Capitolio diſcedere voluiſſe. diſceſſerunt illi aliquando tandem, & locum, ita iubente Xyſto V. Pont. Max. & acerrimo Chriſtianæ pietatis aſſertore, melioribus dederunt. quod factum cum eſſet, & piè ſanctéq. factum, nemo bonus negaret; remanebat in Vrbe Obeliſcus, de quo ſupra copioſè locuti ſumus, ruderibus ille quidem, & ædium, quæ corruerant, parieti-

nis

nis & cæmentis penè obrutus: ſed, quod miraculi lo co haberi debeat, nullam omnino vel barbararum nationum, quæ captam Vrbem & euerſam ſolo æquauerũt, & cæteros Obeliſcos humi deiectos confregerũt, vel Romanorum etiam ipſorum iniuriam paſſus, aut aeris & ingruentium ventorum vi atque intemperie vlla ex parte vel exeſus vel comminutus: vt ad aliquem alicuius ætatis vſum & felicitatem conſeruari videretur. at in qua Vrbis parte remanebat? nempe in Vaticano, atque in ipſo Caij & Neronis Circo, quem eorũ hominum, qui iam inde à Chriſtianæ pietatis initio Chriſto humanæ ſalutis auctori nomen dederant, ac datũ conſtantiſsimè tuebantur, ſæpe ſanguine redundantem viderat: in quo duo Imperatores, geminæ humani generis faces, in Chriſtianum nomen ſæuientes currum flagitioſiſsimè agitarunt: in quo denique & tẽplum Petro Apoſtolorum principi magnificentiſsimũ ſit ædificatum, & ſedes ad inhabitandum ſummis Pontificibus attributa. Itaque ille quidem ſic deliteſcebat, vt & ſcelerum, quæ illic commiſſa fuerant cùm plurima tum immania, recordatione & memoria quaſi lugere, & loci religionem & frequentiã perhorrere ac reformidare quodammodo videretur: mirareturq́. identidem ſecum, quòd ſe illic tam diu eſſe cum ciuitas ipſa, in qua Chriſtiana pietas tanto ante tempore ſedem fixiſſet, tum Pontifices Maximi, qui relicto Cælio Vaticanum incolebant, patienter ferrent. ac profectò nõ defuerunt, qui Patrum memoria ſæpe animo agitauerint,

rint, qua ratione, quo ſumptu, quibuſq. machinis tā immanis moles è ſede, in qua fuerat poſita, integra auelleretur, & in area Vaticani ſic ſtatueretur, vt auguſtiſſimi templi veſtibulum non modo ornare, ſed etiā venerari videretur, idq. quo minus fecerint, cauſſam omnino fuiſſe exiſtimare poſſumus, quod partim sũptu deterriti, partim artificum inſcitiæ diffiſi, partim temporum iniquitate impediti, atque immatura morte ſublati, vel aliò animum traduxerint, & à pulcherrimi facti gloria reuocauerint, vel rem penè inchoatam perficere non potuerint. Stabat itaque trabs illa ſaxea, quamquā obſcuro in loco, in Vaticano tamen; viſebaturq. quotidie ab externis nationibus nō omnino ſine Chriſtianæ pietatis detrimento: A ſacroſanctis enim altaribus ac locis piis in ſui admirationē omnium oculos conuertebat. quorum etiam plerique Cæſaris cineres venerabantur; quos in ſphæra illa inaurata, quam Obeliſco impoſitā videbant, incluſos eſſe falsò ex vulgi opinione ſibi perſuaſerant. quamobrem ne diutius cum tanto nominis Chriſtiani dedecore atque iniuria tam antiquum antiquæ impietatis & flagitiorum monumentum ſupereſſet, atque vt animos hominum potius à ſuperſtitione ad verum Dei cultum referri oportere admoneret, poſt quam ſartum tectum, vt ita loquar, ad Pontificatum ſuum perueniſſe Xyſtus V. Pōt. Max. animaduertit, non ille quidem euertendum, & infringendum ſibi eſſe exiſtimauit, ſed è ſede auellendum ſua, & impoſita illi Cruce in celeberrimo loco

ſtatuen-

ſtatuendum. Atque ab hac tam laudabili cogitatione, nullæ, neque rei nummariæ difficultates, quæ exhauſto penitus ærario ſummæ erant, neque incredibilis annonæ caritas, qua vehementer laborabatur, deterrere potuerunt, quominus opus tam laborioſum, & à nullis antea tentatum aggrederetur. Quamquam vulgo non deerant, qui tam grande inceptum reprehenderent, idq́. Veſpaſiani auctoritate tuerentur, qui artifici cuidam pollicenti ſe in Capitolium magnas quaſdam columnas exigua impenſa perducturum, reſpondit, velle ſe plebeculam paſcere. Optimè illi quidem, ſi, vt Obeliſcum moliretur, in paſcenda plebe eum ſe, quem oportebat, non præſtitiſſet. Cui enim dubiũ eſt fuiſſe nos magnũ famis periculum ſubituros, niſi Deus Opt. Max. Pontificatum huic vni detuliſſet? qua de re plura non dicã. illud dicam, quod nemo eſt qui neget: nec vlli ſcilicet defuiſſe vnquam vnde ſe copioſè aleret, nec à cæteris operibus ceſſatum: in quibus præterquã quòd plurimorum inopia cotidiano victu ſuſtentabatur, ingens etiam erogabatur in plebem pecuniarum vis; quod qui beneficentiſſimi patris & liberaliſſimi Principis munus eſſe in primis neceſſarium non intelligit, is ſe aut plane maleuolum, aut Reip. gubernandæ penitus imperitum fateatur neceſſe eſt. Sed quid agas? numquam inceptis quantumuis egregiis & laudabilibus obſcuri & latẽtis animi obtrectatores defuerunt. oſtendit hoc Homerus, qui Therſitẽ abiectiſſimę ſortis hominẽ Agamemnoni, Neſtori, Vlyſsi, Achilli,

& cæ-

& cæteris illis Græcorum principibus obloquentem fa cit, omnibusq́. contumelioſiſſimè maledicentem: cũ tamen illi & rerum geſtarum gloria illuſtres eſſent, & prudentia, quæ in adminiſtranda, regendaq́ue Rep. & virtute, quæ in bello faciendo, profligandisq́. hoſtibus principem locum obtinet, mirabiliter excellerent. ſed, vt Vlyſſes Therſitem, vir ſcilicet ſapientiſſimus hominem nequam & perditum; ita Xyſtus V. Pont. Max. non quidem impacto ad illius exemplum in frontem ſceptro, ſed planè leuato in Annonæ caritate populo, & fide, quæ paſſim in tanta graſſatorum & latrociniorum frequentia conciderat, reſtituta: maleuolorum ſermones compeſcuit; &, quod ſemel animo conceperat, effecit. effecit autẽ non quidẽ cum voluit, nam ad id diem ante Kal. xviij. Octobris conſtituerat, quo die Chriſtiani homines Exaltationem Crucis celebrant, ſed ante diem ſextum Kal. eiuſdem menſis, quod alij artificum negligentiæ, ego diuinæ voluntati tribuendum cenſeo. Nam cum eo die Sol tertiam Libræ partẽ peragrer, è ſigno, quod ad nos pertinet, abiectiſſimo, ipſe omni dignitate ſpoliatus Crucem adorare ſupplex & potuit & debuit in ſummo illo Obeliſco poſitam, quem ſibi à Pherone Seſoſtridis F. Heliopoli, recepto viſu dicatum, deinde Augusto & Tiberio Cæſaribus Romæ à Caligula conſecratum me i iniſſet: mirandę ſcilicet antiquitatis molem, quam tum in media Vaticani area atque ante eius templi veſtibulum, quo nullum eſt in toto terrarum orbe magnificentius ſtatui,

eiusq. vertici Crucem imponi iuſsit Xyſtus V. Pont. Max. vt quéadmodú depulſæ cęcitatis cauſſa ab Aegiptio Rege olim ſtatuta fuerat, ita in futurum diffuſæ à Chriſto crucifixo euágelicæ lucis teſtis eſſet, & à ſuperſtitione hominú animos ad Chriſtianę pietatis cultum auocaret; quod quidem ſapientiſsimi ac ſanctiſsimi Pontificis, & liberaliſsimi Principis factum, huiuſmodi eſſe homines cum fateantur, vt pro tantæ ſubſtructionis magnificentia, & incredibili reuerentia, quam adhibere par eſt aduerſus Deum, quamq́ue omnibus ex aſpectu ipſo incuti ſibi ſentiunt, nemo quantum vis eloquens laudare ſatis poſsit, nos pro ingenij noſtri tenuitate his trimetris ſumus cupidè potius, quàm ornatè proſecuti.

OBELISCVS PHERONIVS.

Olim Syenes arduis è montibus
Immanis, aſper, & perhorridus lapis,
Vrbem vetuſtam vectus Heliopolim,
Sublime Cœli ſuſtuli ad limen caput.
Sic namq́ue iuſsit clara regis inclyti
Virtus Pheronis, vtriusq́ue luminis
Viſu recepto, cuius vſum amiſerat
Ob numen à ſe fluminis læſum: illius
Vt aſſerebat cæca ſecli vanitas,
Secli vetuſti vanitas, perennibus
Ineſſe numen arbitrantis fontibus,

Auctiſ-

Auctiſque Nili fluxibus: ſed vt tamen
Phero ſuperbi filius Seſoſtridis,
Qui ſolus imperarat orbi maximo,
Ioue annuente cæcitatem depulit,
Soli ſacrauit lucis ipſe me patri.
At plurimarum plurimis ętatibus
Deinceps peractis gentium, per ęquora
Longinqua naue prouidus vaſtiſſima
In Romuli altam vexit vrbem Caius
Circoq. in ipſo, quem ſibi ſubſtruxerat,
Longe imminentem ludicris curulibus
Famæ dicauit Cæſarum, ſat inſcius,
Ætas futura quot viciſſitudines
Rerum pararet omnium Quiritibus.
Quas ipſe ſolus, ipſe ſolus vndique
Fugi ruinis obrutus, quò ſcilicet
Non comminutus parte ab vlla, at integer
Seruarer hoc ad tempus: in quo Pontifex,
Quot quot fuerunt omnium vel maximus,
Ventura necnon quot videbunt ſecula,
Xyſtus reuulſum pertulit in aream.
Late patentem. tum ferendam vertici
Crucem ſupremo fixit, vt palam foret,
Hanc eſſe ſolam, quæ Pheroni, & omnibus
Perenne lumen præferat mortalibus.

Conqueſtio Obeliſci, quòd à quibuſdam vocetur Pyramis.

Cùm pateam facies æquas in quattuor; & cùm
Trabs vaſta in vaſtum porrigar acta veru;
Pyramidis contra non vnus ſemper, & idem
vel laterum numerus, vel modus eſſe queat,
Nomine cur hoc me quiſquam vocat? Jlla ſepulchrum eſt;
Donum ego ſum templis, numinibusq́. datum.
Illa ſuo cineres gremio complexa tuetur:
Seruo ego in inciſis regia facta notis.
Ipſe vno conſto e lapide: e compluribus illa:
Illa immota manet: quò vocor, ipſe ſequor.
Finibus & quod nos certis diſiungit, idemq́.
Haud patitur iuſta lege ſubire iugum,
Turcæ illa imperium perfert; me Xyſtus ad æthram
Extulit, inuictæ ſuppoſuitq́. Cruci.
Hinc igitur prorſus vox longe infauſta faceſſat,
Nec me, ſed tumulos vendicet illa ſibi.

Petri Angelij Bargai.

F I N I S

SEQVVNTVR CARMINA A VARIIS AVCTORIBVS IN OBELISCVM CONSCRIPTA ET IN DVOS LIBROS DISTRIBVTA

In quibus ſi quid vel mutatum vel additum, vel demptum aliquis inueniet id eius auctoritate factum eſſe ſciat cuius voluntati non parere nefas eſt.

LIBER PRIOR



ROMAE,

Ex officina Bartholomæi Graſſij. 1586.

AVCTORVM NOMINA, QVORVM
Carmina in Obeliſcum conſcripta his libris continentur.

Andreas Buſcouius Polonus. pag. 29
Andreas Frontius. 41
Antonius Bariſonius. 27
Antonius Citabi. 27
Antonius Quarengus. 55
Aurelius Vrſus. 59
Balduinus Felix. 62
Caſtor Durantes. 69
Fabricius Boſſius. 38
Ferrantes de Torres. 68
Flaminius Priamus. 38
Flaminius Figliuccius. 41
Franciſcus Bencius. 4
Fuluius Cardulus. 21
Gulielmus Magnanus. 43
Gulielmus Euerardus. 28
Hermannus Ardenrald. 33
Hieronymus Badeſius Romanus. 60
Horatius Turſelkinus. 13
Ioannes Arnoldus Bucolius. 32
Ioannes Iannuccius. 35
Ioannes Pittius. 43
Ioannes Garga. 57
Io Franciſcus Bordinus. 61
Ioannes Tonſus. 65
Io: Paulus Zerla. 69
Ioſephus Bozius. 25
Iulius Cæſar Lucatellus. 34
Iulius Cęſar Stella. 58
Iulius Roſcius Hortinus. 68
Laurentius Frizolius. 48
Matthęus Scrikius. 33
Mutius Riccerius Camers. 66
Nicolaus Munſterus. 31
Octauius Ferzinius. 36
Paraclitus Frangipanis. 70
Petrus Angelius Bargeus. 83
Petrus Blanca. 23
Philippus Poelarius Burgenſis Flandrus pag. 75
Pompeius ab Angelo. 37
Rogerius Odoriſcus, 63
Rodulphus Bou Klundus. 44
Siluius Antonianus. 45
Simon Cecchinus Romanus. 3
Typographus ad Lectorem. 85

ERRATA

Pag.	Lin.	Error	Correctio.
17	12	*biſce*	*hicce*
23	17	*Lato*	*Leto*
35	11	*duces*	*duce*
47	22	*contexta*	*contextæ*
53	22	*equos*	*equus*
60	11	*opus*	*onus*
62	1	*procul nomen*	*procul hinc nomen*
65	1	*alumna, quies*	*alumna quies*
69	5	*violentum,*	*volentum*
77	7	*Quęrentem iurgia*	*prębentem ludicra*

R·P· D· SIMONIS CECCHINI ROMANI

Aud. Contrad. Vtr. Sig. Refer. & Almæ Vrbis Gymnaſij Rectoris.

AD XYSTVM V. P. M.

NON te Obeli moles, non clari gloria facti,
Vana hæc Cæſareo fama petenda viro eſt,
Sed Crucis egit amor, Crux ò dulciſſima: Xyſte
Ne dubites Alto ſiſtere Monte Crucem.
Stella viam inueniet: Solyma, atq; Oriente ſubacto
Vt decores ſpolijs aurea templa Crucis.
Viue igitur Felix: Leo cedere neſcius hic eſt:
Hac duce tutus eris, hac duce carpe viam.

Eiuſdem ad eundem.

Salue Pontificum ſpecimen, ſalue optime Xyſte,
Te caput erexit Principe Iuſtitia.

ALIQVORVM CARMINA EX COLLEGIO ROMANO SOCIETATIS IESV.

Franciſci Bencij Elegia.

AD SIXTVM V. P. M.

SIXTE Pater; qui ſtella velut de monte refulges
Purpureum terris cum vehit orta diem,
Siue tuis ſpectas ſubiectum nutibus orbem
Dum viget imperijs latior ille tuis:
Siue bonis ades ipſe bonus, ſeu fulmine terres
Impia in aduerſum qui tulit arma Deum.
Hic te Chriſtigenæ ſublimi in ſede ſedentem
Supremum veluti numen in orbe colunt,
Et merito. Tu namque hominũ cuſtosq; paterq; es,
Sceptraq; diuinis proxima ſolus habes
Sceptra, quibus cœlo ducis labentia dona:
Perq; mare, & terras omnia tuta facis.
Interea Pax alma choros cum Virgine ducit,
Et nitidum ſpicis Copia cincta caput.
Ite procul ſontes: Sixtus regit omnia: pacem

Qui

Qui violet Sixto Principe nullus erit.
At fuerit quicumque audax, veſtigia facti
Pœna premit, culpam ſubſequiturq; comes.
Fur neq; in vrbe latet, neq; adeſt graſſator in agro,
Nec locus inſidias, hora nec vlla timet:
Te canit in molli proiectus gramine arator,
Abſtulit vt feſſo feſſus aratra boui:
Te vacua ſub rupe canit frondator, & audet
Collibus in ſolis condere quiſque diem:
Te canit, æternam cum veſpertinus ad vrbem
Carpit, & in media nocte viator iter:
Non iuga Viminei reticentur deuia collis,
In varias quæ nunc ſunt patefacta vias.
Hinc ſacras ædes veneratur turba Quiritum,
Nec dubiam à ſuperis ſedula poſcit opem.
Quin etiam tanto reddit pro munere grates,
Terrarum quod ſit credita cura tibi.
Et meminiſſe iuuat, quæ circum obſederat oram,
Depulſam per te protinus eſſe famem.
Theſauris per te munitam ingentibus arcem
Quos poſthac vlli ſit tetigiſſe nefas.
Illa quidem tam multa canunt: ſed plura parãtur
Pro quibus oratur longa ſenecta tibi:
Seu Pontina palus Volſco ſiccatur in agro,
Fornice ſeu longo ducitur amnis aqua.

Seu

Seu potius Turcarum acies, motusq; rebelles
Frangere, & in capto vis dare iura ſolo.
Hinc mare nauigijs vndabit, milite campus
Et procul auſpicijs caſtra mouenda tuis.
Rapta dein templo figentur ſigna vetuſto,
Cui nouus acceſsit nunc Obeliſcus honos:
Aduectus quondam Pharijs Obeliſcus ab oris
Cum mare contextis ſenſit onus ratibus.
Quoq; prius firmata loco, ſtetit ardua moles
Neglecta in ſpeciem, delituitq; diu.
Hic vbi falſa olim fundebant carmina vates,
Et media Circus valle Neronis erat.
Hic cælum aſpexit, populo cum triſte tyrannus
Exitium inſonti ſuppliciumq; parat:
Quis ſcit an & caſto fuerit madefacta cruore
Cum pia gens ducta eſt ad genus omne necis?
Forſitan & Petri vidit languentia membra
Ad terram obuerſo vertice fixa cruci.
Ac modo quam melius celſam videt area Petri
Cum pateat iuſsis conſpicienda tuis?
Quam melius ſublimis apex venerabile ſignum
Extulit, vt flectat plebs venerata genu?
Quam melius conuerſus honos, ratioq; locorum
In medio poſitam quam decet eſſe foro?
Scilicet, huc toto quiſquis properabit ab Orbe

Vt

Vt pedibus poßit ſuccubuiſſe tuis :
Atque auctam vidiſſe vijs, & fontibus Vrbem,
Ornatamq́; magis, quam coluiſtis aui;
Omnia collaudans, verba inter ſingula Sixtum
Non intermittet concelebrare Patrem.
Viue diu, repetet, princeps gratiſsime cœlo:
Ipſe Deus cœptis conſilijsq́; fauet:
At tibi cũ ſuperam Chriſtus Deus annuet arcem
Et benefactorum præmia digna feres:
Tunc, veluti caput excelſas Obeliſcus in auras
Tollit, & æternum ſuſpiciendus erit,
Sic tua, ſancte Pater, virtutum nomina tollet
Gloria, non vllo deperitura die.

EIVSDEM AD VRBEM ROMAM
Ode.

V*RBS alma, terras cui Deus è domo*
Latè regendas ſiderea dedit,
Saxoque fundatum vetuſto
Imperium ſine fine ceßit.
O & ſuperbis ſemper honoribus
Aucta & triumphis, magna petentium
Quos duxit ardor, barbarorum
Altior vt fieres ruinis.

Iam

Jam mitte gentis nomen inutile
Iactare priſcæ, nec ſolidum decus:
Funeſta vix partam per arma
Mitte leuem celebrare laudem.
Nouos honores accumulat tibi,
Nouos triumphos aſſerit optimus
Sixtus MARIAE *cura Matris*
Virginis, atque Dei Sacerdos
In orbe ſummus. Non ne vides prior
Vt cedat illi gloria Cæſarum?
Seu ducit alto flumen arcu,
Siue vijs ſpatia ampla laxat:
Neglecta ſeu quæ delituit diu
Molem extrahit molimine plurimo
In lucem apertam, hærente paſſim
Atque oculis inhiante vulgo.
Quin & virorum mentis acumine
Et quiſquis alta præniţuit fide,
Dum magna fiunt iuſſa, Quantum
Relligio pietasq́; poſſunt
Iubentis, inquit, pectore ab intimo:
Aeterna noſtri gloria ſæculi
O Sixte, qui Chriſti trophæo
Subijcis Aeneadum triumphos:
Et Chriſtianos qui deceat ſtatus,

Præſcri-

Præſcribis, orbem legibus inſtruis,
Doniſq; rectè facta tollens,
Crimina ſupplicijs coerces.
Tu Roma, facti, quo maneat fides,
Nomenq; nullo non memorabile
Auctoris æuo, inciſa Quinti
Adde notis monumenta Sixti.

EIVSDEM DE OBELISCO VATICANO
Epigramma.

O QVI ſuſpenſis oculis, & mente tueris
Ardua, quæ moles tollit in aſtra caput:
Hanc repete è Pharia quondam regione petitam
Cum gemuit vaſto pondere preſſa ratis.
Edita multiiugis hanc machina ferramentis
Cæſare ſub Caio vix ſtatuiſſe poteſt.
Immota ex illis hodierna ad tempora manſit,
Quiſque licet cupiens, grande reliquit opus
Hæc tibi Quinte olim ſeruata eſt gloria Sixte:
Translata auſpicijs conſtitit illa tuis.
Tu ſæuis tandem imperijs ſeruire coactam
Iuſta lege aufers, reſtituiſq; Deo,
Sic ſpolia æterno ceſſere Aegyptia Regi,
Vt populo Moſen te dedit eſſe ſuum.

ALTERVM.

TRanslatum ſede ex humili quod nobile ſaxum
 Sancte Pater ſtatuis nobiliore loco
Non equidē temere, & Chriſti ſine numine factū
 Eſſe putem, cuius munera magna geris:
Virtutis monumenta piæ ſunt. Aſpera moles
 Tollitur humana vix fabrefacta manu.
Infima quadrato pars nixa eſt marmore, ſurgit
 Ordine decreſcens ſuſpiciendus apex.
Nec pila, nec radius, ſed Mōs in vertice, & aſtrū,
 Et ſuper impoſita ſunt ſacra ſigna Crucis
Haud aliter magis atq; magis terrasq; relinquit
 Relligio, & rectam quærit ad aſtra viam.

EIVSDEM.

QVAE vetus aerio contingens vertice nubes
 Stat moles ſpectāda foro, qua Clauiger ædē
Petrus habet, cineresq; ſacros, ſummoq; tuendam
Pontifici, qui rite altos ſuſtentat honores,
Succeditq; oneri, æternum tranſmiſit in æuum
Non leuis hanc humili deductam e ſede poteſtas.
Vt validas oſtentet opes, artemq; magiſtram.
Extu-

Extulit, illuſtriq́; magis ſtatione locauit:
Sed Pietas, ſed ſanctus amor, ſed iuſta cupido
Vt veteres cultus, abolendaq́; numina Diuum
Impia quos olim fertur coluiſſe vetuſtas
In melius conuerſa: animos ſuſpendere, & ora
Viſa queant, tollantq́; Dei victricia ſigna:
Qui ſimul humanos artus, moribundaq́; membra
Victus amore ſuo caſta de Virgine ſumpſit
Inq́; Crucem tulit efferri, ſimul omnia traxit
Ad ſe ſe, dominoq́; ſibi ſeruire coegit.
Ergo & quam poſitam nec iuſta lege dicatam
Auguſtis geminis memorandis littera ſignat
Facta notis: Pater hăc Sixtus tibi magne ſacrauit
Chriſte Pater, Regumq́; apices Aegyptia tellus
Quos tulit, & quos Caſareos mirata triumphos
Roma olim, parere dedit, dominoq́; ſubegit.
Vt primum ſtatuit venerandi ad limina templi,
Atque ſalutiferum prafixit vertice ſignum
Vnde nouum pia Roma decus miratur, & audet
Spernere prateritum, venienti occurrere ſaclo,
Vt nihil in terris maius Sol ſpectet olympo.
Scilicet hanc ſuperum Rector tibi maxime mĕtem
Sixte dedit, terram ille tibi virtute regendam
Detulit, ille tuum perfundit numine pectus.
Et miramur adhuc hominum felicia cœpta.

Et latos rerum euentus? Deus extitit auctor
Adiutorq; operis iuſtis ex ordine votis.
Cuncta poteſt ſincera fides. Quis dicere inertem
Audeat? hac ſimul & monti te transfer in altum
Dixerit, & iuſſus ſe mons iactarit in altum
Transq; mare attonitũ trepidãti emerſerit vnda.
Illa ſimul voluit, iuſſit conſiſtere anhelos
Solis equos, ſteterunt illi, ceu rector habenas
Cum trahit, inq; gradu ſubſiſtere cogit eodem
Ora citatorum ſi quando inflexit equorum.
Illa etiam vt monuit, radios reuocauit ab orbe
Sol, quibus in gyrum labentia tempora monſtrat,
Et ceu pertexto ſubtemine lina retexens
Legit iter retro, Vt refugam tranſcriberet vmbrã.
Inde ſibi optatam feſſo Rex corpore vitam
Nouit adhuc alios plures ſupereſſe per annos,
Iniectamq; manum Mors indignata repreſſit.
Hac fretus legum interpres per deuia Moſes,
Perq; feros odijs populos, male fidaq; regna,
Per mare perpeſſum ſiccis veſtigia plantis
Innumeras traxit gentes, longoq; leuauit
Seruitio, ac ſæua conſtrictas compede ſoluit.
Perq; graues caſus, & mille pericula rerum
Incolumes tandem optatam perduxit ad oram,
Hoſtibus extinctis, ſpolijsq; ingentibus auctas.

Sed

Sed quid ego hæc autem fidei miracula narrem,
Atque die in medio doceam luceſcere Solem?
Certe ingens fidei mirabitur argumentum
Quiſque tua, ter ſancte ſenex, qui grandia ſaxi
Pondera, quod mare vix tenuit, vix horrida tellus
Præſtitit eductum ſinuoſi è vertice montis
Sublatumq; altè fugit perterritus aer,
Imperijs erecta tuis conſpexerit: Ut Crux
Alta triumphato terrarum impendeat orbi:
Proq; viri foribus, cui credita ianua cæli,
Alliciat mirantum animos, Chriſtumq; ſecutis
Indicet ætherij patefactum limen Olympi.

HORATII TVRSELLINI
Epigramma.

REGIS opus, ſoliq; ſacrũ inſtar turris acumen
Niliaca vexit Cæſar ab vſq; Pharo.
Inq; ſuo ſtatuit decus admirabile Circo
Regibus, & binis hic monumenta dedit
Sede ſua auulſum ingenti molimine Sixtus
Extulit ad magni limina ſancta Petri.
In ſummo rutila ſolem Crux luce laceſſit
Aureus aſtrifero monte coruſcat apex
Quid Crucis elata iactas elatus honores

Hera-

Heracli? an Sixto gloria parta minor?
Tu Solymos ſupra montes. hic inclyta ſupra
Et decora Heroum tollit, & aſtra Crucem.

ALIVD.

VIderat atherea Galilæus clauiger Vrbis
Grande ſuo adiectum iam decus eſſe foro
Niliaca tandem moli, Circoq; tyranni
Impoſita ab Sixto ſacra trophæa ſuo:
Et ſimul arridens, grato ſimul ore tonantem
Adſpiciens, ſuperis talia dicta dedit.
Eſt tanti ſubiiſſe Crucem dominante Nerone
En ſubit illius gloria victa Crucem.

ALIVD.

NVnc ſi Tartareis exurgat Cæſar ab antris
Ille, Cruci qui te maxime Petre dedit
Et videat decus ipſe ſui ſpectabile Circi
Veſtibuli ante tui limina ferre Crucem
Dentibus horrendum infrendens, & lumine toruo
Flammam interſpirans talia dicta daret
Ilicet heu Pluto, rerum domina Vrbe ſubacta
Seruiet inuicto cælum, Erebusq; Petro?

ALIVD

ALIVD.

MAgnũ de Phario certamen acumine natũ eſt
  Egregios inter, munificosq́; viros
Hoc Cæſar ſtatuit ſaxum mirabile Circo;
  Hoc Sixtus poſuit nobile pegma Cruci
Eripuit Soli, vt donaret Regibus ille;
  Hic daret vt Chriſto, Regibus eripuit
Ambo aliena nouis dant poſſeſſoribus; ambo
  Hæc adimunt, tradunt munera iure ſuo.
Iniuſto ſiquidem Domino detraxit vterq́;:
  Ex dono meritum traxit vterq́; decus;
Sed tamen hoc melior tua cauſa eſt Sixte; quod ille
  Cæſaribus dederat, reddis at ipſe Deo.

ALIVD.

NIle pater iam parce queri Mareotica ſaxa
  Regum opera, & Soli ſacra tuliſſe Tybrim
Inſtaurat veteres Sixtus Pater Vrbis honores,
  Et quæ Solis erant munera, Solis erunt.
Iuſtitiæ Soli dona hæc æterna ſacrantur:
  Quæ fuerant aſtri, ſunt monumenta Dei.

ALIVD

A L I V D.

SYderea Michael Romanaq; arbiter arcis
Stare Crucem vt vidit culmine Cæſareo
Tergeminumq; iugum, ſidusq; inſignia Sixti
Sponte humeros domina ſuppoſuiſſe Cruci
Siderei agnouit Patris immortale trophæum
Signaq; lætitiæ maxima rite dedit
Et ſupplex ſalue ò (inquit) Crux alma, ſalutem
Romulidisq; affer, Romulidumq; Patri
Hoc duce ſi Regum calcas decora alta, trahisq;
Sub tua iura Orbem ſub tua iura Polum.

EIVSDEM ELEGIA.

EN tandem aerio Memphitis vertice moles
Stat Vaticano conſpicienda foro
Iam monte auricomo, iam ſidere culmina lucent
Iam Crucis effulget lumine clarus apex
Agnouit Michael idem arcis præſes, & Vrbis
Agnouit Domini ſacra trophæa ſui.
Jntonuit lætum, & tonitrus iaculatus in auras
Exciuit feſto Romula corda ſono
Certatim accurrunt alacres ſpectare Quirites
Area nec turbam quam libet ampla capit.
Quid

Quid memorem inſolitos rerũ fabrumq; paratus,
Quid memorem voces, ſcitaq; dicta virum?
Stratis hac ſyluis æquata eſt machina cœlo.
Jam multum in funem, cannabis omnis abit.
Hic operi tantus mons circumaggeſtus arena
Regifico ſumptu, regificaq; manu.
Prò quantum aſſurgit vacuas Obeliſcus in auras:
Scilicet huic rupes vix ſatis vna fuit.
Quantum ſuſpiciant miracula tanta minores
Arte vbi cœlata, pareat artis opus?
Scilicet exquirent ſecum, manibusne gigantum
Hiſce baſi tanta ſit lapis impoſitus.
Haud minor iſte labor, q̃ magnũ imponere Olympũ
Oſſa, cum premeret Pelion oſſa iugis
Tantum poſcit opus Rathi, Encedaliue lacertos
Siue tuos Atlas, ſeu Polypheme tuos.
Aut ſi vera libet his miſsis quærere; poſcit
Cælicolùm vires, cœlicolùmq; manus.
Cuncta per ora ſonat tua laus, tua gloria Sixte;
Cui nauant homines, cui Deus ipſe fauet.
Centum Pontifices hanc molem ſemiſepultam
Optarunt medio ponere poſſe foro;
Sed labor immenſus, ſumptusq; exterruit omnes,
Et, quem intentabat facta ruina, metus.
Credo equidem, te, Sixte Pater, te numine diuùm

Hic tantus per tot ſecla manebat honos.
Tu ſed enim præſtans animi, & feliciter audax
Quicquid agis, peragis nil renuente Deo.
Seu iuuat ingenti camporum ducere tractu
Arcubus irriguæ penſile flumen aquæ:
Seu iuuat oppoſitos Vrbis perrumpere colles;
Munire & laxas culta per ipſa vias.
Omnia dura licet, ſuperat mens neſcia vinci
Vt fiant, Sixtum ſic voluiſſe ſat eſt.
Hæc tamẽ hæc tua la⁹ minima eſt, ò maxime Paſtor
Quod decorat Petri limina celſa Nero;
Quod rutilat Chriſti Phario de culmine ſignum
Nobile; & Eoos ſpectat; & Heſperios.
En Reges Petro ſubmittunt vndique faſces:
En inſigne Crucis mundus vterq; colit.
Iaponius noſtro penitus diuiſus ab Orbe
Corde pio Chriſti myſtica ſacra fouet
Agnoſcitq; Petri ſedem, fideiq; magiſtram
Prædicat extremo vectus ab Oceano.
Quin etiam vada trans Atlãtica, Mexica tellus
Se Crucis, & Petri fingit ad arbitrium:
Ergo age, magne parens, moles hæc ipſa loquatur,
Seruet & inciſis hæc tua facta notis.
Petri eſt, quod fuerat decus immortale Neronis:
Qui Cruce ſæuibat, dat ſpolia ampla Cruci.

Dux

Dux facti egregij Sixtus Pater Vrbis, & Orbis
Quo duce Crux ſubiget Solis vtramq́ domum.

EIVSDEM ODE.

QVæ Muſa, vatum qui ſtylus aureus
Manus diſertæ, aut hiſtoriæ tuum
Nomenq́ virtutemq́ laude
Sixte Pater, merita futuris
Seclis in æuum, & finibus vltimis
Tranſmittet orbis? tu miſerã famem
Quiritibus, tu arces latronum
Italiæ trepidos tumultus.
Tu templa Diuùm, & Virginis inclytæ
Dei parentis, porticibus, tholis,
Vijsq́; tu Romam benignis
Largus aquis decorare gaudes.
Tu peruagantem impune licentiam
Frænare fælix; te duce temperat
Aſtræa terras, te Dynaſtæ
Et tumidi metuunt tyranni.
Te Rex Auerni, te ſtygiæ manus,
Ex quo ſacratam in Niliaco crucem
Videre ſaxo, horrent auari
Imperijs Erebi timentes.

Te Rex Olympi, & cælicolùm cohors
Fouent, amico & numine prouehunt,
Tutela præſertim Quiritum, &
Dux ſupera Michael Phalangis,
Chriſti vt trophæum nobile in arduo
Neroniana molis acumine
Conſpexit, hac pio furore
Concitus intonuiſſe fertur.
Cocytia actutum procul ò procul
Hinc eſte peſtes, nunc penitus ſacra
Nunc Roma Roma eſt, en quod vnũ
Cæca ſuperſtitio tenebat
Inſigne præter cetera, iam Cruci
Chriſtoq́; ſacrum eſt, cedite cedite
Sunt nulla vobis iura in Vrbe
Nulla reor fore in orbe toto
Olim è beatis vos ego ſedibus
Egi rebelles in nigra Tartara.
At vos adorandas per orbem
Et ſtatuas, & amaſtis aras.
Stat rurſus in vos fulmineum manu
Vibrare telum; donec ab vltimis
Terris in æternas retrudam
Vos tenebras graue olentis Orci.
Iam Sixtus arces eruet impias

Jam numen & Chriſti, & Crucis inferet
Non ante luſtratis Meaci
Regibus, indomitoq́; Sina.

FVLVII CARDVLI CARMEN.

IN *Cruce Sol Solem pendentem luxerat olim*
Fercula nunc Obelos vult Crucis eſſe ſuos.

A L I V D.

AEgyptus *Soli, binis me Roma dicauit*
Auguſtis: ſacras, tu, pie Sixte, Cruci

A L I V D.

SEcula *mortali me Soli priſca ſacrarunt.*
Sum nunc æterni Solis honore ſacer.

ALIVD EIVSDEM.

ME *quondam Pharijs aduectum Caius ab oris*
In Circo ſtatuit nominis ipſe ſui.
Auguſto, atque eius priuigno dedicat, antè
Qui fueram Soli relligione ſacer.
Hinc ſpectatorem Petri morientis acerba
In cruce, proh facinus, me, Nero dire, facis
Deleto Circo per ſæua incendia, perq́;
Tot ſtrages Vrbis, gloria noſtra manet.

Nunc

Nunc etiam creuiſſe datur: poſt quinq; ter acta
Secula, poſtq; nouem luſtra nouatur honos.
Transferor ex humili, Roma plaudente, receſſu,
Et Vaticanos collocor ante gradus.
E' celſa iam ſede altus ſuper æthera tollor,
Mons altus dicar dein, Obeliſcus ero.
Hæc edit mons vere altus miracula Xyſtus
Quid mirum? Chriſti fungitur ille vice.
Ille Petri dignus ſucceſſor, nomine, uotis,
Atq; auſis felix, hac modo ſede locat,
Imponitq; Crucem radiantem uertice ſummo;
Vt petra hæc Petræ ſeruiat, atq; Petro.
In Cruce ſuffixum Petrum, mandante Nerone
Vidi olim ô ſuperi; quas ego cerno uices?
Deuictus Nero Tartareis miſer ignibus ardet:
Cœleſti fruitur uictor honore Petrus.
Purpura, nomen, opes, faſces, ubi tecta Neronis?
Regnat in Vrbe Petrus, datq; negatq; polum.
Nunc mea ſors melior, Sol, Auguſtiq; ualete,
Me Crux; me Petrus, me Deus unus habet.

ALIVD EIVSDEM.

ROMA *vetus cecidit, magni cecidere Obeliſci,*
Cæteraq; ipſa ſua mole ſepulta iacent.
Inter ego infandas ſtrages, Vrbisq; ruinas
Inco-

Incolumis tacito numine ſolus eram.
Sed vicina mihi proſpectum tecta negabant,
Et proprias ſedes alta tegebat humus.
In Vaticana Quintus me luce platea
Conſtituit Xyſtus, ſuppoſuitq́; Cruci.
Cur ita? ſic Petrus voluit, quem funere vidi
Crudeli extinctum, ſupplicioq́; Crucis.
Laudibus ille crucem Chriſti, mortemq́; ferebat
Mercedem laudis, retulit ille Crucem.
Hac in cæde iterum Chriſtus vim pertulit, vnde
Illa fuit Chriſti crux, fuit illa Petri.
Sic in diſcipulo tenuit Crux ſæua magiſtrum,
Me iuuat hinc ſummo uertice ferre Crucem.
Seruo quidem uanos teſtantia nomina cultus,
Reſpuo ſed ueterum numina falſa Deum.
Ornabam Circum quondam, uel ſepta Neronis,
Læto ubi Chriſtigenas impius ille dabat.
Nunc ædem, tumulumq́; Petri proſpecto, piaq́;
Inſtrumenta necis, quam tulit ipse colo.
Hoc Vrbs, hoc Orbis, deuicta hoc Tartara ſigno:
Inclyta victricis geſto trophæa Crucis.

PETRI BLANCAE.

ALtus monte Crucē gerit hāc Obeliſcus ab alto.
Nunc mons verè altus, non Obeliſcus erit.

Aliud

ALIVD.

QVem Phœbo Aegyptus, quem Auguſtis Roma dicauit;
Tu lapidem hũc ſubdis, Maxime Sixte Cruci:
Felix ergo lapis, ſed tu felicior eſto,
Quo duce ſternentur ſubdita cuncta cruci.

ALIVD.

NAte ſub Auguſto, ſub ſucceſſore necaris
Chriſte. Crucíq; horũ das monumẽta Ducũ.
Hos etenim Auguſtos Obeliſco Caius honorat:
Per te, Sixte, Crucis nunc Obeliſcus honos.
Tranſtulit vt Moſes Aegypti argentea vaſa
In Domini obſequium præcipiente Deo:
Sic lapidem Pharium præcelſi in Regis honorem
Non abſque inſtinctu numinis ipſe trahis:
Non alibi hæc melius potuiſſet Petra locari,
Quàm Petri ante ædes, quas, pie Sixte, regis.

ALIVD.

MOntibus vt montes olim impoſuere Gigantes
Fulmine diſiecti iure fuere Iouis;
Sic contra imponens Obeliſco culmina montis
Mons Altus montem eſt dignus adire Dei.
Illi namque auſi maledictis ſcindere cælum,

Et cæli Dominum, iuſtitiaq; decus.
Hic pro iuſtitia, pro Diuis expedit arma,
Et vitijs bellum, ſuppliciumq; parat.

ALIVD.

ERuitur moles, quæ ſemiſepulta iacebat,
Et merito ante ædes ſiſtitur illa Petri,
Nam prius aut Solis cultus, aut Cæſaris vrnam,
Aut orbem vacuum ſatq; ſuperq; tulit.
At nunc æterni Solis, Chriſtiq; triumphum,
Victricemq; Crucem nobilitata gerit.
Cedat Sol Chriſto, vitæ mors, vrna triumpho,
Quadrataq; Cruci fuſilis ære globus.
Hæc mens ſola fuit, cura hæc fuit vnica Xyſti,
Redderet vt vitæ, mors quod iniqua tulit.

IOSEPHI BOZII AD VRBEM ODE.

O Quæ decorum ſideribus caput
Sola inter Vrbes inſeris, Vrbium
Magiſtra cunctarum, cadensq;
Quas obit, exoriensq; Phœbus,
Agnoſce tandem Cœlicolum patrem,
Agnoſce: non hæc, non peperit tibi
Spectata maiorum tuorum
Militiæq; domiq; virtus.
Quid æra, quid tu marmora ſuſpicis?
Priſcæ quid Vrbis relliquias colis

Theatra, thermas, fornicesq́;
Et veterum ſimulacra auorum?
Signa illa, dirum queis ſoboles Dei
Euicit hoſtem, queis mare pulchrius
Tellusq́; nil produxit vnquam
Nil hominum ingenia extudere
Partis trophæis præfer, & omnibus
Patrum triumphis, dum cineri ſacro
Pauliq́; dicentur, Petriq́;
Et domino pia Roma grates.
En, Vaticana quæ ſtetit area
Moles monebit ſæcula in omnia
Orci ſubacti, atrasq́; pulſi
In Stygiæ tenebras paludis.
Quod ille cladis ſenſit vbi ſua
Memor, doloris vulneribus noui
Exaſperatus, talia imo
Dicitur euomuiſſe ab antro:
Soli dicauit, quæ monitu meo
Ægyptus olim, quæ ſtatuit duce
Me Roma, funeſto, ſacrantur
Hæc igitur monumenta ſigno?
Crux iſta cælo quo mage tollitur,
Cocyti in vndas hoc mage deprimor:
Vrorq́; quod deiectus alta

Mole

Mole fere tumulor ſepulcri.

ANTONII BARISONII.

EDuctum ad nubes Obeliſcum vertice cernens
Sixtus, & inſana Relligionis opus:
An ne ait, æternum cultus retinere prophanos
Ad Vaticani culmina ſaxa ſinam?
Huc artes, huc Roma tuas conuertito vires,
Se dignum teneant marmora celſa locum
Dixit, & ad templi ſacrauit limina molem
Cæſaris, & ſancta ſtant monumenta Cruci:
Maiora expecta generoſo à Principe, Roma,
Qui ſeruire docet barbara ſaxa Deo.

ANTONII CICALAE.

AEriàs celſo feriebat vertice nubes
Propter Niliacas hic Obeliſcus aquas
Immenſum latè volitabat fama per Orbem
Principis, egregium qui ſtatuiſſet opus.
Caius vbi Circo decus immortale futuro
Ad ſacra Romulei Tibridis ora tulit,
Extinxit Pharij nomenq. decusq. tyranni
Rumor ad extremos diditus vſq. Getas:
Vltimus auulſum Circo, Chriſtoq. dicatum
Erigis ad Petri maxime Sixte fores.
Hinc tua Cæſareum reſtinguet gloria nomen,
Viuet & æternos non peritura dies.

Et Crucis auſpicio ſuper alti culmine Montis
Proferet auratum ſtella coruſca iubar.

AD VRBEM ROMAM GVLIELMI EVERARDI Epigramma.

QVam bene depoſito cultu monumenta profano
Ferre ſalutiferam iam didicere Crucem:
Cernimus Auguſto rutilare in uertice Chriſtum,
Et ſtygis irata monſtra uidere iuuat.
Ite ſacri: pia turba gregis: concepta Quirites
Soluite pro tanto munere uota Deo.
Quam ſacram cupit ille urbem te, Roma, uidere
Qui tua ſaxa etiam ſacra uidere cupit?

EIVSDEM AD SIXTVM QVINTVM.

QVā Phario rutilare Crucē de marmore, Sixte,
Curas, nunc placidi mitia ſigna Dei,
Iudicis hac quondam irati fulgore coruſco
Terrificas acuet ſanguinolenta minas,
Si tunc hauſta inopi ſitienti frigida, iuſtis
Ad ſua virtutum præmia teſtis erit.
Quod tibi pro tanta pietate, crucisq; triumpho
In Cruce ponendum eſt, Sixte, patrocinium?

ALIVD. MICHAEL ANGELVS GRATVLATVR SIXTO.

VT celſo Michael conſpexit ab æthere Sixtum
Fulgentem Auguſta ponere mole Crucem,
Quæq; ipſe è cælo quondam deiecerat, arma

Tar-

Tartareis iterum præcipitata plagis,
Riſit, & ò noſtra pietas digniſſima cura,
Digna ò cui totus pareat orbis, ait,
Horre Acheron: Stygijs ſurgũt noua prælia regnis:
Militia ſacra dux nouus arma parat.
Ingentes Erebo clades meditatur, & inſtat
Barbara qui Chriſto ſubdere ſaxa poteſt.

ANDREAE BVSCOVII POLONI ODE.

O Cui tam varia licuit ſplendeſcere luce
Æquata moles ætheri,
Seu tu magnanimo promittis tuta Leone
In monſtra regnum perfida;
Sidere ſeu radiante poli das ſigna ſecundi,
Lumenq; Sixti comprobas,
Seu ſummum in triplici portendis culmine culmen
Honoris & ſacri imperii;
Seu ſtabilem ipſe tuo teſtaris pondere Petri,
Fideiq; firmam regiam:
Felix ſorte tua cælo ſpectabilis ipſi
Tali coruſcans pondere
Deſpicies quicquid terris violenta minentur
Procacis Auſtri flamina.
Ipſa, viden? quæ ſumma tuo Crux vertice fulget,
Crux ſumma cæli gloria.
Certa cano: Pater omnipotens hoc pignore firmat;

Tu

Tu quicquid orbi nunciat.

EIVSDEM EPIGRAMMA.

TErgemini montes, ſublimi in mole ſerenos
Impoſitis aſtris explicuere ſinus;
Aſtra humeros rurſus manifeſta in luce coruſcos,
Calcandasq; Cruci ſuppoſuere comas,
Hac cœlo ſtatuenda fuit: ſed montibus altis
Celſior, atque aſtris non erat vllus apex.

A L I V D.

QVòd moles immota tuæ Pater optime menti
Paret, & imperijs eſt modo mota tuis;
Non facit hoc cogente manu, vel viribus vllis:
Illi etiam ſcelus eſt non tua iuſſa ſequi;
Et dubitem infranes poſituros colla Britannos,
Quando & ſaxa tuum iam ſubiere iugum?

A L I V D.

VIderat æquatos cœlo Roma aurea montes
Oſtentare tuæ Chriſte trophæa crucis,
Et ſeptem mirata arces ſub munere tali
Subſediſſe humiles: talia dicta dedit:
Sola meum quondam potuit crux vincere robur,
Soli nunc poterunt tecta ſubeſſe Cruci.

EIVSDEM EPIGRAMMA.

INclyta Echyoniæ ſileant miracula turres,
Sint licet argutam membra ſequuta chelym

Aſpi-

Aſpicit immotas blando ſine carmine rupes
Iuſſa ſequi Domini Roma ſuperba ſui
Aſpicit: & merito numen ſuper æthera tollit
Non niſi Chriſte, tuum, non niſi Sixte, tuum.

ALVMNORVM COLLEGII GERMANICI.

NICOLAI MVNSTERI EPIGRAMMA.

SAXA, ſuperq; altos montes crux aurea ſurgit.
Num locus in terris altior vllus erat?
Non tamen hoc Sixto ſatis eſt, ſuper aſtra reponit,
Num locus in cœlo, celſior vllus erat?
Scilicet illa fuit ſedes ſuper aſtra locanda,
Caius & in cœlo Rex ſuper aſtra ſedet.

EIVSDEM.

CÆſaris auſpicijs poſitus, vix vnius olim
Tu decus Orbis eris, ſi decus Vrbis eras:
Aſt vbi te poſuit felici ſydere Sixtus,
Nobile totius nunc decus Orbis eris.
Talia Pontificem Sixtum monumenta decebat
Ponere, quippe Parens Vrbis, & Orbis erat.

A L I V D.

CVm varijs quaterent Hunni terroribus Vrbē,
Maximaq́ aquarent amphitheatra ſolo,
Auguſti moles ſtetit inconcuſſa, nec vllis
Tacta malis, vnum manſit in vrbe decus,
Et gemuit quondam concuſſus cladibus orbis,
Oppugnata fides, & cruce, & igne fuit!
Sed veluti cautes conſtanti pectore Petrus
Perſtitit, & fidei fulſit in orbe decus.
Jure igitur Petro moles Auguſta ſacratur,
Quippe malis cunctis vna ſuperſtes erat.

A L I V D.

CVncta licet fuerint Vrbis deiecta trophæa,
Vaſta tamen moles inuiolata manet.
Cur hanc Pontifices non erexere priores?
Pontificis Sixti ſcilicet illud erat.

IOANNIS ARNOLDI BVCHOLII.

ARdua marmoreo moles ſubnixa reſedit
Pondere, & obtutus Vrbis & orbis alit:
Dic age, quo nobis terrarum ignota receſſu
Haſeris? et tanta quid modo luce nites?
Scilicet inferno fuerint quæ ſacra tyranno,
Sic decet ignoto delituiſſe loco
I nunc, ætherias nitidum caput effer in auras,
Gloria magna tua eſt, maior at illa Crucis.

ALIVD

ALIVD EIVSDEM.

HActenus in domina latuit vix cognitus Vrbe,
Nunc leo victrici pro Cruce victor ouat.
Dæmonis hac fuerat quondam fraude obſita terris
Hoſtis, et à noſtro pignore diues erat:
Sed caput atq; altis rutilum de montibus Atlas
Extulit euictas, mox dedit ille manus
Sixtus, quod ſtygiis olim gens cæca trophæum
Fixerat, eripuit, figat ut ille Cruci.

MATTHAEI SCRIKII.

QVæ quondam artificũ multo fabricata labore
Cæſaribus poſuit Roma ſuperba ſuis;
Signa, trophæa, arcus, ſolo pietatis amore
Pontifices quoſdam poſt habuiſſe ferunt:
Laude quidem digni, Sixtus maiora capeſſit
An non his maius nomen habere poteſt?
Qui veteres Vrbis cum relligione ruinas,
Et priſcum renouat cum pietate decus.

HERMANNI ARDENRALD
Epigramma.

QVod iubar exoritur radianti è vertice montis
Quam bene vitali cuncta calore fouet?
Expectata refert deuicti ſigna Tyranni,
Claraq; felicem pandit ad aſtra viam.

Tale Palæſtinas ſidus deduxit in oras
Illuſtres vera relligione viros.
Luminis ipſe parens haud talia lumina præbet
Phœbus, vbi auerſos liquerit Antipodas.
Scilicet iſta docent longè præſtantibus auſis
Te, Sixte, egregium promeruiſſe decus.
Viue diu, moderare Orbem, tibi tarda ſorores
Lanificæ voluant ſtamina: viue diu.

CLERICORVM ET CONVICTORVM SEMINARII ROMANI.

IVLII CAESARIS LVCATELLI Ode.

O CRVX, quæ rigido culmine niteris
Molis Niliacæ: ſidera vertice
Sublimi feriens, &
Claro lucida ſtemmate:
Ambit te populus ſolicita prece,
Terrarum Dominam Curia prædicat
Romana, atque trophæis
Gaudens ſe decorat nouis
Olim ſacra tibi iam prope perdita
Byzanti dominus priſtina retulit,

Crude-

Crudeliq; fugato
Perſarum duces Coſdroa.
Te primus patrijs reddidit ædibus,
Et, quæ obſeſſa ferus templa tyrãnicis
Armis miles habebat,
Victis abſtulit hoſtibus.
Magnis ecce pius Sixtus honoribus
Te ornat nunc: Obeli vertice nobilis
Fulgentem locat; vnde
Te flexo colimus genu.
Magni iure tibi nomina Cæſaris
Ceſſerunt; animos qui populi diu
Falſo nomine honoris
Suſpenſos tenuit rudes.
Te mox Turca ferox, te gelidus Scytha
Romani imperij Principe maximi
Sixto ſceptra gerente
Et diri metuent Getæ.

IOANNIS IANNVCII.

IActabat altis otia ciuibus,
Vt fama priſco carmine prædicat
Superba dulci laude Roma.
Cæſareum peperiſſe robur.
Auguſtus acres imperio potens
Allexit Indos, Aſſyrios ſua

Sub iura miſit Marte, preſſit
Barbaricas ditione gentes.
Huic Phœbus albis conſpicuus comis
Arriſit vltro vocibus, & niger
Maurus, Notus, leniſq; primum,
Hunc Boreas voluere Regem.
Quis non quietam ſponte colat togam?
Parcant minorum laudibus inclyti
Duces, ſupremi laude ſignum
Nobiliore canant Tonantis.
Crux vna ſtultis horrida gentibus
Effulget, expers iam fidei plaga
Illudit, ac victrix ſuperbi
Culmine nunc Obeli reſedit.
Auguſtus alter, Roma ſacra, nitet
In ſede, pacem reddidit, impios
Ferro latrones orbe fuſos
Suſtulit, & laqueo ſubegit.
Alter quietem milite plurimo
Reduxit, armis hic ſine retulit,
Crucemq; vera ſpem ſalutis
Monte ſuper triplici locauit.

OCTAVII FERZINI.

INſami vt Chriſtus cernatur monte peremptus
In ſummo voluit monte ſubire Crucem,

Haud

Haud melius poterat cunctis viſenda reponi
Crux: quam ſi in triplici monte locata foret.

POMPEII AB ANGELO ODE.

IMo iacentem numen amat gradu
Præferre ſummi Regis honoribus,
Miſcetq́; ſceptris clariorem
Agricolis, inopumq; tectis.
Dum Cæſar alto regnat in otio,
Victorq; famam terminat æthere
Et iura ponto, diuus atq;
Cælicolas numeratur inter:
Crux atra mœſtis abdita veſtibus,
Formidoloſis vndiq; luctibus
Horrenda ſqualet, deſtinata
Opprobrio, exitioq; ſontum.
At, vera ſummi progenies Patris
Dum Chriſtus altã vulnere ſaucius
Quino cruentat, conuolutis
Ordinibus mouet ima ſummis:
Deiecta Regum gloria concidit,
Terrisq; fulſit Crux bona in omnibus
Seu Regis ornatura frontem,
Seu Stygijs metuenda clauſtris.
Sed cum ſuperſtes nunc Obelus foret
Teſtatus orbi Cæſareum decus

Hunc

Hunc ſede mutas, & patrono
Sixte dicas, Crucis atque ſigno.
Chriſti poteſtas namque vicaria
Cum te ornet, vna ferre vicariam
Mentem peroptas namq; Chriſto
Culta foues, inimica frangis.

FABRICII BOSSII.

HIc qui ſtēma crucis nūc tollit ad aſtra, ſuperbi
Auguſtis Obelus ſtemma decoris erat.
Aſpice demiſſa en quantū mens poſſit: honores
Qui capit ante, caret, qui caret ante, capit.
Quam latitare iuuat, non Crux preſſura obeliſcos
Monteſq; & ſtellas, ni latitaſſet, erat.

ALIVD.

DEpoſcenti aliud ponduſq; ſitumq;, repulſam
Quondam Obelo dederat cauſa laboris opus.
Xyſtus at hunc (mirū) ciet, atq; immobile quondā
Mobile, quod reliqui non potuere, facit,
Sic modo, qua optabat, permutat vtrumq; ſituq;
Nobiliore iacens, nobiliora gerit.

FLAMINII PRIAMI ODE.

O Crux Chriſtiadum decus
Jmmortale, Poli clarior igneis
Aſtris, gloria cælitum
Æterna, & miſeris ſpes melior viris.

Jam

Iam te non ſtygis amplius
Obſcurant tenebræ, non tua lumina
Extinguit Phlegethon, ſacros
Noctis nec radios nebula detinet.
Te longi celer antea
Curſus temporis, atque irreparabilis
Ætas reddidit horridam,
Infamisq; dedit nomina carnifex.
Iam quæ tetrica lucidam
Obſcurare poteſt eluuies crucem?
Nil eſt ſplendidius polo,
Et terris mage nil eſt venerabile.
Te Sixtus decorat nouo
Nunc ritu, atque trabis Niliacæ pater
Celſo vertice ſedulus,
Haud parcens grauibus ſumptibus excipit.
Nunc eſt exiguum decus,
Parua & pro meritis gloria redditur.
Sed maior manet vltimis
Splendor temporibus, marmoreum veru
Cum iam fulgida deferens
Sedem conſtitues in medio polo.

EIVSDEM.

STruxit mirificas Pyramides Pharos
Propter Niliaci fluminis alueum:

Subli-

Sublimiſq́, eadem Lacidis arduam
Turrim commemorat vaſta per æquora
Præbentem miſeris lumina nauitis.
Extollit Babylon turgida mœnia
Junctis bis geminis peruia curribus,
Tercentum validis turribus additis
Quæ iam Semiramis condidit impotens
Dianæ Triuiæ laudat Jonia
Templum magnificum. Cares, & inclyti
Mauſoli celebrant ſplendida funera,
Jngentem ſtatuam fert ſuper æthera
Geſtantis pharetras inſula Apollinis,
Elausq́; Jouem laudat Olympicum.
At proh cæca hominum pectora, proh dolor
Et quæ iam remanet Pyramis, aut Pharos
Et quæ iam Babylon mœnia prædicat?
Et quæ extant Epheſi marmoreæ domus
Dianæ? celebret funera Caria
Si poſſit, ſtatuam nunc Rhodus indicet,
Elausq́; Jouem proferat integrum:
Jſthæc ſunt volucri tempore diruta,
At nunc erigitur talis ad æthera
Moles, quam ſtabili ſæcula non queant
Perturbare gradu. Robora nam Crucis
Hoc præſtant valida, & ſumma potentia

Regis

Regis Chriſtiadum. Deſine conqueri
Proles Romulidum, diruta marmora;
Xyſtus namq́; Obelum ſubſtruit hunc tibi,
Qui vincat veterum ſplendida marmora.

FLAMINII FIGLIVCCII.

HIc vbi ſacra polum ſublimi vertice tangit
Crux, & conſpicuum tollit in aſtra caput.
Argentoq́; auroq́; nitens in montibus altis
Emicat, attonitis ſuſpicienda viris.
Hos olim Auguſto plebs vana dicarat honores
Viuus, & in tanto marmore Cæſar erat.
Sixte ſacras Obelum Chriſto: te præſide dicam
Reſtitui Chriſto Cæſaris imperium.

ANDREAE FRONTII.

DEſine Chriſtiadas contundere Roma flagellis,
Et Vaticanum commaculare nece.
Erigit optata crux alta inſignia palmæ,
Figit & in capto bellica ſigna ſolo.
Aſpice vt in noſtris volitet victoria campis,
Vtq́; canat victrix carmina læta cohors.
Dic vbi magnanimi Heroum ſunt, Roma, triũphi?
Dic vbi nunc Vrbis pompa ſepulta iacet?
Nullus in Heſperia miles quatit oppida bellis:
Nullus in Oechalia ſurgit ad arma furor,
Nec ferus infeſtos Mauors deſæuit in hoſtes.

Pralia nec rauco concitat aere canor.
Impia bellandi rabies, aſſuetaq; dira
Hoſtibus aduerſis deficit ira neci.
Martia Roma ruit tantis elata trophæis,
Nec iam belligera concrepat arma manu.
Iam neque Chriſti alta ſuſpēditur arbore martyr,
Nec Vaticana defluit arce cruor.
Hic vbi nunc Pharia à Xyſto crux ardua moli
Impoſita auratum tollit in aſtra caput
Chriſtiadum turpi pendebant brachia trunco:
Hic laceranda feris fortia membra dabant
Hoſtibus in medijs, medio in certamine miles.
Ægide munitus conſpiciendus erat:
Horrida purpureos laniabant tela lacertos,
Tingebat roſeus nudaq; membra cruor.
Hic pueri atque ſenes, iuuenes caſtaq; puellæ
Optabant duro ſubdere colla iugo.
Subdite colla iugo clamabant, ſubdite ferro
Corpora: pro Chriſti nomine dulce mori eſt.
Nunc Chriſti miles rediuiuus conterit hoſtes,
Lætaq; victrici morte trophæa refert.
Et Crux quæ terror fuerat mortalibus olim,
Nunc honor eſt Xyſti, cœlituumq; decus.

ALVMNORVM COLLEGII ANGLICANI RO.

GVLIELMI MAGNANI Epigramma.

PLurima iam viuunt, ſolùm quia carmina viuunt,
Quæ modò non aliter, quàm modò facta vigent:
Si ſemel auferres doctorum ſcripta virorum,
Temporis elapſi mentio nulla foret:
Scripta ferunt annos, ſi tollas ſcripta, peribunt
Qui ſacra regali ſceptra tulere manu.
Carmine ſublato, quia carmine plurima viuunt,
Pauca ſuum retinent inuiolata decus:
Hoc mihi pono tamen, quòd quis uerũ eſſe negabit?
Roma opus eximium, conſpicuumq́; manet:
Cuius in excelſo crux alma cacumine fulget.
Hac erit à rapido fulmine tutus apex.

IOANNIS PITTI.

TRabs Pharia Vrbis honor, ſed crux honor Vrbis & Orbis.
Digna tamen fieri trabs Pharia Orbis honos:
Hæc duo ſunt vnum per te (Pater optime) facta
Trabs Pharia et pia Crux, Vrbis et orbis honor.

OBELISCI VATICANI PROSOPOPOEIA. RODVLPHI BOVKLONDI.

ANtiquis titulo laudiq; Quiritibus olim
Præmia virtutis perſoluiſſe fuit.
Ipſa ſibi merces ſatis ampla, at creſcit honore
Hunc ſtimulum virtus, hoc ſibi calcar habet:
Hinc palma, hı̄c quercus, hı̄c laurus, oliua, triūphis
Hinc tot magnorum clara trophæa ducum;
Hinc ego quem ſtatuit ſublimem vana vetuſtas
Optans perpetuum Cæſaris eſſe decus:
Plaudite Romulidæ quod veſtra in ſæcla ſuperſtes
Immanis moles ſede mea ſteterim:
Imo quod ipſius vice veſtræ inſigne ſalutis
Aurea Crux nitidum ſpargat vbiq; iubar;
Quod locus obſcurus celebri, quod Cæſar Ieſu,
Victaq; concedat gloria priſca nouæ.

F I N I S.

CARM. DIVERSORVM AVCTORVM
LIBER POSTERIOR.
SYLVII ANTONIANI.

TELLVRE aduectos Pharia immanes Obeliſcos,
Quos ſtatuit falſis Martia Roma Deis,
Vrbe illos ſtrauit tota longinqua vetuſtas,
Hoſtileſue manus, barbaricuſq́; furor.
Integer, immotuſq́; tot inter conſtitit vnus
Auguſto Patri, Tiberioq́; ſacer;
Hic vbi crudelis Circumq́; hortoſq́; Neronis
Sub Vaticani colle fuiſſe ferunt.
Ingens miraris ſaxum voluentia ſecla,
Et diros toties non timuiſſe Getas?
Ne caſu eueniſſe putes, iam tum alta parabat
Hæc Deus inuictæ clara trophæa Cruci.
Pace ſub Auguſto parta, terraq́; mariq́;,
Virgineo Chriſtus naſcitur ex vtero.
Principe Tiberio, vitali ex arbore pendens,
Omnia ſupplicio crimina noſtra luit.

Quodq́; magis mireris adhuc; cum ſolus habenas
Auguſtus magni flecteret Imperij.
Iam Regum Rege exorto; quamquam inſcius ille
Arcani, dici ſe dominum vetuit.
Quin etiam Cœli vidiſſe in parte ſerena
Virgineo puerum dicitur in gremio;
Sacrauitq́; aram Capitoli in culmine, nomen
Auſpicio ſeruat nunc meliore locus.
Aſt alter, Chriſtum auxilij non talis egentem
Diuorum adſcribi cenſuit in numerum.
Hanc igitur vaſti mirandam molem Obeliſci
Romulidum erexit vana ſuperſtitio,
Auguſtisq́; illam, patri, natoq́; dicauit,
Id ſilice in dura nomina ſculpta docent.
Centum alij iacuere ſolo, ſtetit altior ille,
Qui ſacro Petri proximus eſt tumulo:
Forſan & hac, infanda Nero ſpectacula vulgo
Cum daret, & Chriſti dilaniaret oues;
Sæpius innocuo maduerunt ſaxa cruore,
Sparſaq́; ſunt ſanctis marmora viſceribus,
Cum monſtrum horrendum, tergis contecta ferarũ
Corpora, viuentum corpora Chriſticolum
Heu crudele nephas, canibusq́;, vrſisq́;, lupisq́;
Obijceret miſeris dilaceranda modis.
Hos rerum euentus, & non ſine numine cauſas

Dum

Dum ſecum verſat pectore ſubtacito
Magnanimus Sixtus felici nomine Quintus
Juſtitia inſignis, nec pietate minor,
Hoc ait, hoc Chriſti rutilet ſublimis in alto
Crux ſolio: hic populis crux veneranda micet.
Cedant fallaces, & inania numina Diui,
Seruiat & vero Caſar vterque Deo.
Atque vbi maiori lapſu, & grauiore ruina
Vi proſtrata Crucis, corruit impietas,
Celſius hic ſtatuat ſibi Crux inuicta trophæum,
Gloria Crux Regum, Pontificumq́ decus.
Ergo agite ò Juuenes, Obeliſci nobile marmor,
Obſcura nimium quod modo ſede latet,
Illuſtri templi ante gradus regione locate,
Præbeat vt magna grandia fulcra Cruci,
Ad fidei Petram, vereq́ immobile ſaxum
Ad Piſcatoris limina Clauigeri.
Vexillum Chriſti campo ſpectetur aperto,
Et latè populos ad pia bella vocet.
Dixerat, illi alacres haud mollia iuſſa capeſſunt,
Nil duce, nil Sixto eſt auſpice difficile.
Nec mora, contexta are trabes, ferroq́ reuincta,
Et firmis ſtabilis machina roboribus
Conſtruitur circum, cæloq́ attollitur alto,
Miraturq́ ingens ipſe Obeliſcus opus.

Tym-

Tympana diſponunt alij, longosq́; rudentes
Ductaq́; per trochleas ſtuppea vincla ligant,
Paulatim lapis aſſurgit poſt ſæcula multa,
Aere libratus pendet & in medio,
Tum leni lapſu demiſſus, corpore toto
Sternitur, optata iam requieſcit humo.
Aſt olli breuis eſt requies, namq́; aggere longo
Extructo, ignotas cogitur ire vias.
Ecce iterum magno elatus molimine; quid non
Ingenium vincat? non labor efficiat?
Siſtitur, in medioq́; foro, propiorq́; locatur
Cælo, tantum illum ſuſtulit alta baſis:
Stant circum attonitæ turbæ, nequeuntq́; tuendo
Expleri, gaudet Sixtus & ipſe Pater.
Vertice in excelſo ſignum vitale coruſcat:
Ingeminat plauſus maxima Roma ſuos.

LAVRENTII FRIZOLII.

INgens Niliacis Obeliſcus notus in oris
Deflebam ſortis tempora dura meæ.
Nam ferro exciſus patria de rupe Syenes,
Conſpicuus clara Solis in Vrbe locor:
Illi me donum ſtatuit; gratusq́; recepti
Me voluit teſtem luminis eſſe Pheron.
Aſſiduis illic cumulabar laudibus, illic
Liber eram, cara nec procul à patria.

Me

Me circum argutis celebrabant ludicra ſiſtris
Indigenæ, & latos per ſola plana choros.
Fraternis, & quiſquis iter de montibus illuc
Tendebat, ſaxo florea ſerta dabat.
Sed non illa mihi manſerunt gaudia. triſti
Omnia verſauit ſors inimica vice.
Nam toto Auſoniis armis Oriente ſubacto,
Romulidùm Ægyptus ſub iuga colla dedit.
Quidquid erat domitis pretioſum in finibus, Vrbē
Ad dominam Eoo littore victor agit.
Et fuſcam grauidis pubem, veſtemq́; carinis
Stipat, & artificis viuida ſigna manus.
Me quoque captiuum longo poſt tempore Romam
Ducere, & antiqua vellere ſede parat.
Mole mea ſecurus eram: ſed viribus arti
Admotis ſociæ tam graue ceßit onus.
Impoſitusq́; rati, trabibus quam mille reuinctam
Firmarant duro robore mille trabes.
Ignotas pelagi inuitus præteruehor oras,
Siue Europa tuas, Africa ſiue tuas.
Ceſſaui (fateor) ſpumoſa per æquora numquam
In mea turbatos fata ciere notos.
Et cum vitandas clamabat nauita Syrtes,
O, dixi, in Syrtes, & vada cæca ferar.
Omnia tentantem leti diſcrimina, tuto

Tympana diſponunt alij, longosq́; rudentes
Ductaq́; per trochleas ſtuppea vincla ligant,
Paulatim lapis aſſurgit poſt ſacula multa,
Aere libratus pendet & in medio,
Tum leni lapſu demiſſus, corpore toto
Sternitur, optata iam requieſcit humo.
Aſt olli breuis eſt requies, namq́; aggere longo
Extructo, ignotas cogitur ire vias.
Ecce iterum magno elatus molimine, quid non
Ingenium vincat? non labor efficiat?
Siſtitur, in medioq́; foro, propiorq́; locatur
Cælo, tantum illum ſuſtulit alta baſis:
Stant circum attonita turba, nequeuntq́; tuendo
Expleri, gaudet Sixtus & ipſe Pater.
Vertice in excelſo ſignum vitale coruſcat:
Ingeminat plauſus maxima Roma ſuos.

LAVRENTII FRIZOLII.

INgens Niliacis Obeliſcus notus in oris
Deflebam ſortis tempora dura meæ.
Nam ferro exciſus patria de rupe Syenes,
Conſpicuus clara Solis in Vrbe locor.
Illi me donum ſtatuit, gratusq́; recepti
Me voluit teſtem luminis eſſe Pheron.
Aßiduis illic cumulabar laudibus, illic
Liber eram, cara nec procul à patria.

Me

Me circum argutis celebrabant ludicra ſiſtris
Indigenæ, & lætos per ſola plana choros.
Fraternis, & quiſquis iter de montibus illuc
Tendebat, ſaxo florea ſerta dabat.
Sed non illa mihi manſerunt gaudia. triſti
Omnia verſauit ſors inimica vice.
Nam toto Auſonijs armis Oriente ſubacto,
Romulidùm Ægyptus ſub iuga colla dedit.
Quidquid erat domitis pretioſum in finibus, Vrbẽ
Ad dominam Eoo littore victor agit.
Et fuſcam grauidis pubem, veſtemq́; carinis
Stipat, & artificis viuida ſigna manus.
Me quoque captiuum longo poſt tempore Romam
Ducere, & antiqua vellere ſede parat.
Mole mea ſecurus eram: ſed viribus arti
Admotis ſociæ tam graue ceßit onus.
Impoſitusq́; rati, trabibus quam mille reuinctam
Firmarant duro robore mille trabes.
Ignotas pelagi inuitus præteruehor oras,
Siue Europa tuas, Africa ſiue tuas.
Ceſſaui (fateor) ſpumoſa per æquora numquam
In mea turbatos fata ciere notos.
Et cum vitandas clamabat nauita Syrtes,
O, dixi, in Syrtes, & vada cæca ferar.
Omnia tentantem leti diſcrimina, tuto

Oſtia ceperunt me Tiberina ſinu.
Nec requies Tiberim aduerſũ ſuperamus, & alta
Auguſtum imperij cernimus arce caput.
Qui populi concurſus erat? qui clamor ad auras
Ibat io reſonans, vndique clamor io?
Tunc ego me duci Tarpeia ad culmina rebar,
Lætitiamq́, hoſti, ſuppliciumq́, dare,
In Vaticanam multo conamine vallem
Cum trahor, inuiſo conſtituorq́, loco.
Quid vidi? quid non vidi? crudele ruentes
Ipſe Nero monſtrum puluere agebat equos.
Me ne mea auelli patria, ſpectator vt eſſem
Portenti, & ſcelerum, quæ meminiſſe piget?
Cogerer & cædes oculis haurire cruentas,
Chriſtiadumq́, graues ſæpe dolere vices?
Non etenim Pharia Chriſti mihi nomen in ora
Ignotum, aut trepidæ tempora iuſſa fugæ.
Ille aliquot Babylone annos, quaq́, ipſe locatus
Urbe fui, latuit cum genitrice puer.
Cuius ad ingreſſum ceciderunt cornua Graiæ
Iſidos, & vani contremuere Dei.
Quæ matri exitio feritas, ea prima piorum
Chriſticolum clades, perniciesq́, fuit.
Pellibus (ah rabies) hirtis adoperta ferarum
Membra hominum ſæuos dilaniare canes?
Pars

Pars vndis merſi, pars fixo gutture truncis
Jncenſi, media lumina nocte dabant.
Te, venerande ſenex, atra de nube Simonem
Tunc vidi in terras præcipitare magum.
Ille leues Erebi famulis dum fertur in auras,
Æmulus, & Chriſti tentat adire polum;
Corruit in caput, & qualis confixa volucris
E vacuo labens æthere pulſat humum.
Jnterea pergis Chriſti præcepta docere,
Et feris in falſos prælia multa Deos.
Tum vero exarſit violentia ſæua tyranni,
Jnq; crucis robur debile corpus agit.
Tu renuens inſtar mortem perferre magiſtri,
Præcipis inuerſos erigi ad aſtra pedes.
Auerti faciem: ſed quà non funera cerno?
Quà non purpureo defluit amne cruor?
Nec ſatis hæc. mala multa fuit tolerare neceſſe
Hei miſero, & caſus ferre ſubinde nouos.
Deſtitui ſola ſpreto quoque contigit ora,
Luſtraq; deſerto ſtare trecena loco.
Certe ego debueram magnæ vetus incola Romæ
Vrbanæ ſortis conditione frui.
Munere quin etiam Populi, Patrumq; putaſſem
Tot ſæclis aliquod promeruiſſe decus.
Fallor, & immundo linquor ceu carcere vinctus,

Et lateo ingeſta pene ſepultus humo.
Mutandi ſedem ſpes me iam deficit omnis.
Quiſque cupit, tantum quiſque recuſat opus.
Quid faciam? Fœdo ſtandum mihi limite? Vos ò
Irruite in noſtrum fulmina dira caput.
Aſſurgens Tiberis non vlli noxius, vnum
Diruat inſana me violentus aqua.
Me manus hoſtilis quatiat, ruptiq; Obeliſci
Vicinam ſternant fragmina mille viam.
Quæ mecum tacitus dum mente indignor iniqua,
Conqueror, & votis omnia ſurda meis:
Ecce dies clarum (quid non ſperemus?) Olympum
Infuſo reſerans lumine cuncta beat.
Hac Sixtus Petri ſublimi in ſede locatus,
Patribus, & læto ſæptus honore nitet.
Iamq; ipſum trabea inſignem, mitraq; decorum
In Petri audieram proxima templa vehi.
Lætitia ſenſi durum molleſcere pectus.
Neſcio quæ vultu ſpes meliore redit.
Nam Sixtum verſare nihil niſi grande ferebant,
Et mentem haud vno Principis orbe capi.
Vrbem velle nouo cultu decorare vetuſtam,
Fontes, atque nouas velle aperire vias,
Atque interruptos veterum finire labores,
Eq; ſolo ſacras ædificare domos.

Sci-

Scitabar, ſi quid de me quis fortè ſuſurret.
Quidam etiam de me verba fuiſſe refert.
Sic erat. Ecce trabes me circum figier altas,
Et celſum aſpicio iam ſuperare caput:
Ferri iamq́; graues nexus, funesq́; parantur,
Et, quibus inſueui lentus inire viam,
Ergata, & annoſo teretes de robore lapſus,
Viq́; hominum verſa, quadrupedumq́; rota.
Tollor, & in querni deponor ſtramine lecti,
Et Petri media collocor in platea.
Quod breuiter dixi, citius fuit arte peractum,
Nam Sixti longa neſcia iuſſa mora.
Ipſeq́; praterea ſtationis longa peroſus
Tempora, & obducto lurida teſqua ſitu,
Tollebam memet ſenſim, facilisq́; ſequebar,
Addebamq́; operi ſic taciturnus opem.
Nunc cœli regione fruor ſublimis aperta:
Nunc datur è lato cernere cuncta foro:
Templa Petri, aeratos poſtes, & Principis aulam,
Et qua picta nouo Xyſta colore nitent.
Helueti longe ſplendent fulgentibus armis,
Ferrato & campum verbere tundit equos.
Me Belga aduenìens, durus miratur Iberus,
Afer, & Aſſyrio vectus ab vſque mari.
Circumſtant, gaudentq́; pedem contingere molis.

Sentio ego, & tacitis motibus exilio.
Quodq; omnes ſuperat faſtus inſigne ſalutis
Humanæ dignor vertice ferre crucem:
Quæ ſuper & Montes, & Stellā nititur. Hæc ſunt
Perettæ illuſtris myſtica ſigna domus.
Illa monent (audita mihi ſi verba recordor,
Et vero interpres non aliena canit,)
Quiſquis es, ad cœlum te ſiue potentia tollit,
Seu Sophiæ ornatum lumine pectus habes;
Omnia ſubde Cruci, Dominoq; referre memento
Accepta, & ſtudijs nil meruiſſe tuis.
Præſidiumq;, orbisq; decus, Stygijq; tyranni
Terrorem, pura ſuſpice mente Crucem:
Spes hominum, ſcelerum vindex, medicina dolorū,
Crux, ventis quaſſæ clauus, & aura rati.
Quam collo ex gemma proceres pendere, vel auro,
Et ſupra cupiunt irradiare caput.
Huius ego aurato cinctus diademate frontem,
Non aueam Parthi condere regis opes:
Sceptra Peluſiaci, præ te, Crux alma recuſem
Imperij, & rubro dona reperta mari.
Nunc, & triſtitiam oblitus, longumq; laborem,
Neglecta & gemitus in ſtatione graues,
Sorte mea felix, grates tibi, Chriſte, perennes,
Et merito ſoluam maxime Sixte, tibi.

Præter dulce Crucis pondus, nil proderit æque,
Ac ſtudijs ſemper poſſe placere tuis.
Verticeq́, inſcriptus felicia nomina; lætos
Traducam, parta nobilitate, dies:
Delatosq́, mihi ſemper teſtabor honores,
Atque tuum ſemper nomen in ore feram.
A Sixto huc ætas Obeliſcum nulla ſilebit
Translatum, hoc recinet fama perennis opus.
Sed tibi ſic tituli creſcant ingentibus actis,
Dicar vt è cunctis ipſe fuiſſe minor.

EIVSDEM.

ONus profanum Obeliſcus, & diutinas
Sordes latentis abnuebat anguli,
Se mole terræ conquerens penè obrutum.
Nunc ſorte lætatur ſua, Quintoq́, agit
Sixto perennes gratias, à quo ſitus
Potentis in celebriore Vrbis loco,
Apparet imo, quantus eſt, veſtigio.
Orbisq́, tutelam, inferumq́, metum Crucem
Triumphat alto ſubleuans cacumine.

ANTONII QVARENGI:

MAgnum opus eſt tanti pondus mirabile ſaxi
In medium è latebris tranſpoſuiſſe forum;
Sed maius, pulſam exilio te Sixte perenni
Iuſtitiam populis reſtituiſſe tuis.

EIVS.

EIVSDEM.

ARduus in lucem tetris Obeliſcus ab vmbris
Progreditur iuſſu maxime Sixte tuo.
Quid ſibi non ſperet tanto ſub principe Roma,
Cum tua teſtetur iam benefacta lapis?

EIVSDEM.

NIl opus eſt ſanctas populis præſcribere leges,
Ne Latio improbitas erret inulta ſolo.
Præcipe virtutum ſpectent exempla tuarum:
Hæc feret ad mores ſemita certa pios.

EIVSDEM.

SIXTE nouas iam ſterne uias, iā collibus vndā
Suffice: lata frequens occupet arua domus.
Scilicet egregijs ſub legibus aucta repente
Vrbs populos dudum non capit alma ſuos.

EIVSDEM.

LAtens caduca ignoto in ædis angulo
Tegebar alta ruderum
Jam mole, nec nitoris vlla priſtini
Fulgebat in me gratia,
Cum rara docti principis benignitas
Venuſtiore perfrui
Me cultu, & Vrbis in beatæ nobilem
Prodire iuſſit aream.
Hinc nempe mira Sixtus arte detegit

Se

Se reddidiſſe lumini
Longa ſepultam noctium caligine
Virtutis alma gloriam,
Cuius decorum me vetuſta Symbolum
Vouere Phœbo ſæcula.

IOANNIS CARGAE.

VExilla Chriſti ſtent etiam hoc ſuper
Quadrangulari marmore Cæſarum,
Regesq; regi Solq; Soli
Signa ſuo tituloſq; cedant.
Translata moles præſideat foro,
Apoſtolorum Principibus ſacro;
Vrbiq;, & intentis piorum
Luminibus maneat trophæum
Inſigne, felix, non violabile
Poſthac, neque vllo mobile tempore;
Sitq; Arci, & Ædi Vaticanæ
Perpetui monumentum honoris.
Sic noſtri imago pectoris impios
Durati in hoſtes, ac vetitum nefas;
Terriſq; ab imis alta iuſſam
Ferre Crucem ſuper aſtra amantis.
Hac ſede Petri ſatus ab ardua
Commune votum Sixtus opus locat:
Arcana dictorum reſoluit

Ipſe ſuis, aperitq́ factis:
Namq́ & vagantem impunè licentiam,
Crimenq́ inultum comprimit, impotens
Ceù Sole ſiccos flamma vepres,
Aut nebulas ſegeti nocentes
Vis acta ab Euro. culpa perhorruit
Pœnam inſequẽtem; priſca redit fides;
Aeuumq́ priſcum; nox pauore,
Lite dies caret; & querela.
Annona mendax, & miſeros ciens
Fames tumultus, tranſmare Creticum
Abſceßit, in qua regna peſtis
Sæuit, & exitiale bellum.
Pax alma nobis ridet, & otium
Cuſtode Sixto, Patreq́ maximo:
Per quem tu Jeſu penè lapſam
Genti iterum reparas ſalutem.
Et iura Roma, principis Vrbium,
A parte noſtri conſpicua Poli
Extendis ad non ante viſi
Oppoſitas Japonis oras.

IVLII CAESARIS STELLAE.

HÆc quicunque vides ingentia ſaxa viator,
Abdita neglecto quæ latuere loco,
Transferri plateam in celebrem, miraris vt ætas
Hæc

Hæc peragat, quod vix priſca peregit opus:
Deſine mirari, Syxto hæc regnante geruntur,
Principe quo mirum iam nihil eſſe poteſt:
Quæ raro veteres, nunquam fecere minores,
Sæpius hic nullo pœnè labore facit.
Vix venit, vix vidit, & omnia vicit, hic arua
Poſſe coli, atque Vrbes viuere lege dedit.
Hæc merito mirare igitur, nam principe Syxto
Quæ fecere alij, non ea mira puto.

AVRELII VRSI.

HÆc, quæ paullatim in conum procurrit acuto
Vertice, & Alpinis tollitur æqua iugis.
Sacra prius ſoli moles ſtetit, inde duobus
Cæſaribus; rutilat nunc radiata Cruce.
Error abit, Solisq; ſui Sol cedit honori;
Deq; triumphato Cæſare Chriſtus ouat.

A L I V D.

QVi legis, & tanti miraris pondera ſaxi
Niliacæ quondam prodigioſa Pharo;
Diſce quid hoc rerum, quas conſpicis, argumentũ
Signat, ſtella, lapis, crux, leo, monsq; triplex.
Stella fauor cæli, crux eſt accepta Tonanti
Relligio, montes, ſpes, amor, atque fides
Principis in vigili cura eſt expreſſa Leone,

In lapide imperij pondus, & orbis onus.
Spectat opus, gaudetq; Crucis Roma aucta triũpho
Et veteres Sixto Principe ridet opes.

A L I V D.

ASpice vt immenſo moles ſe regia ſaxo
Tollit, & excelſum condit in aſtra caput?
Extulit hos Cœlo Romana potentia faſtus
Aemula naturæ, parq; operata decus.
Non alia Rhodius ſurgebat mole coloſſus
Altaq; Memphiti condita buſta manu.
Cæſaris hac cineres, vt ſidera Atlante, reguntur
Et minus eſt forſan Cæſare Atlantis opus.

I N E V N D E M.

HIc qui ſublimis ſe fert Obeliſcus ad auras
Cæſaris eſt magni Cæſare maius opus.
Nuper in obſcura latitabat parte, ruinis
Tectus, & aggeſta penè ſepultus humo.
Nunc Syſti imperio veteri reuocatus honori
Stat, celebri moles conſpicienda foro.
Cæſaris extat honos, ſed laus tua Syſte manebit
Tum quoq;, Cæſareus cum morietur honos.

HIERONYMI BADESII ROMANI
Ode.

SOl, qui per auras omnia deſpicis,
Currus equorum ſiſte volantium,

No-

Noſtraq; vexillum ſalutis
Sidereo venerare vultu.
Illud ſacrato vertice ſuſtinet
Auctore Sixto, quem tibi barbara
Aegyptus olim dedicauit,
Iam minitans Obeliſcus aſtris.
Sublime Sixti rebus in arduis,
Durisq; pectus cedere neſcium,
Priſca reuulſam ſede molem
Rite foro in medio locauit:
Superba quondam Roma parentibus,
Iam luce functis, numinis hoc tui
Inſigne pignus conſecrauit,
Caſareos cumulans honores.
At nunc Olympo ſe Pharius lapis,
Se maior, infert, teq; beatior
Nunc te beat, dignatus alma
Dulce Crucis ſubiiſſe pondus,
Cui ſeruit Orbis; quam populus, memor
Lucis recepta, ſuppliciter colit:
Regesq; terrarum potentes
Frontibus impoſuere ſummis:

IOANNIS FRANCISCI BORDINI.

ALta Syenita tibi Crux iam culmina ſaxi
Cedunt, & Solis vana ſuperſtitio.

Caſa-

Cæſareum procul nomen, numenq́; faceſſit:
Te ſolam lætus nunc Obeliſcus amat.
Quin et ſublimes montes, fulgentiaq́; aſtra.
Exſuperas uictrix, ſub pedibusq́; tenes.
Sponte ſua fului ſubmittunt dorſa leones.
Sic montes ſubigis, ſidera, ſaxa, feras.
Scilicet vt, quæ olim exitium, probrumq́; parabas,
Nunc eadem cunctis vita, decusq́; fores.
Præſtitit hæc Felix, diuino munere, Xyſtus,
Cui ſummum eſt ſtudium ſubdere cuncta Cruci.

E I V S D E M.

In Columnam Cochlidem Antonini Pij.

PAuperis excelſas greſſus calcare Columnas
Cernis, Roma, tuas? iam domina orbis eris.

E I V S D E M.

In Columnam Cochlidem Traiani.

IMmeritum Pauli fundis tu Roma cruorem.
Jlle tuum extinctus, poſsidet Imperium.

BALDVINI FELICIS.

LVx Stella, Montis culmen, roburq́; Leonis,
Conueniunt factis quàm bene Syxte tuis?
Latas Stella vias aperit; Leo tollit in altum
Vaſtũ obelũ; vndãtes Mons tibi fundit aquas.
Stella vias vitæ monſtrat; victricia fulcit
Signa Leo; fontes Mons ſuper aſtra iacit.

Jrra-

Irradias, recreas, releuas, humilem, aridũ, egenũ,
Splendide, magne, potens, gratia, honore, opibus.

ROGERII ODORISEI I.C. CARMEN.

EN ſacer Auguſtis Obeliſcus, vertice cuius
Deſuper aſſurgens æneus orbis erat.
Cæſareos poſuiſſe ferunt, monumenta perennis
Imperij proceres; Aurea Roma tibi:
Sed quoniam media ſtabat demerſus arena,
Squallebat cæcis abditus in tenebris:
Xyſtus & Auguſtis maior, quo Principe maius,
Nil Cyniphs, Tanais, Bethis, & Indus habẽt;
Effoſſum latebris, celſaq; in ſede locatum;
Erexit Petri nobiliore foro.
Tentatum priſcis, tamen inſuperabile viſum,
Hoc Xyſti virtus inclyta vicit opus.
Sublatis primis, Felicia ſigna reponit,
Et cumulat Montes, & ſuper aſtra Crucem.
Dum ſtabunt montes, dum ſidera paſcet Olympus,
Crux fuerit, Xyſti fama perennis erit?

EIVSDEM.

FElix ò moles, quam feliciſſimus ornat,
Et ſtatuit Princeps Principis ante forum:
Terra Giganteos non iactet Theſſala montes,
Aut onus Enceladi Sicelis Aethna ſui:
Iam tibi cedat Atlas, qui pondera geſſit Olympi;

Pondera non illis inferiora geris.
Aſſurgatq́; tuo iam ſumma lucifer Ida,
Dentq́; Dionæi Cæſaris aſtra locum.
Vna es, qua Vaſti totius machina Mundi
Nititur, & Cœli culmina ſumma tenes;
Signaq́; tu Domini terra, cœliq́;, mariſq́;,
Quæ magis exornant, tu geris alta Crucis.
Reddita maieſtas Romæ eſt, operoſa reſurgunt
In Vaticano priſca trophæa foro.
Auſpicijsq́; ſuis reparat decora alta Quirini
Ter felix Xyſtus, ſceptra ſacrata gerens.
Aeternis hæc Roma velis iam condere faſtis,
Principe pro tanto ſedula funde preces.
Felici Xyſto felicibus aſſonet æther
Vocibus, & vatum plaudat in orbe chorus?

EIVSDEM.

QVòd rurſus feriant Obelici culmina Cœlum
Vrbi interruptas quòd reuocarit aquas;
Cœlicolumq́; ædes repararit; ſigna columnis
Fixerit hic Superùm, ſubdideritq́; Cruci;
Culpæ pœna comes quòd ſit; quòd fræna Tyrannis
Indiderit; pellat quòd procul Vrbe famem;
Quòdq́; indefeſſos irarum fregerit æſtus,
Atq́; Italas cædes, ſollicitoſq́; metus;
Nec mora, turbato felicia ſæcula Mundo
Red-

Reddiderit ſtabilis pacis alumna, quies
Aeterni hæc ſpondent certiſsima ſigna decoris,
Aeternum nomen, quod ſuper aſtra ferent.
Ardua magnanimi qui ſpectas ſtẽmata Xyſti,
Longè animo excelſo facta minora vides.
Annua tantarum ſunt hæc exordia rerum
Quod mirere magis maxima cœpta dabunt?

AD ALEXAND. MONTEALTVM CARD.
IOANNIS TONSI ODE.

VIdes, vt alto vertice montium
Ceu lapſa aperto ſtella reſederit
Cælo, ſuperſtanteſq; montes
Aerios lapidi ſuperbo?
Molem hanc, gigantum, non manus impia
Vetante ſtruxit numine cælitum;
Vt excitata olim vſque ad ignes
Sidereos ruitura turris:
Sed magnus Atlas robore ſuſtinens
Virtutis orbem prouidus extulit;
Vt Crux ſuper ſtellam locata,
Perpetuo niteat decore.
Diffuſa latè, quæ radiantia
Splendore miro lumina cernimus,
Non ſtella, ſed Crux ſpargit, aſtris
Clarius æthereis refulgens.

Ægyptus omnis, cuius in intimo
Reciſus ingens eſt gremio lapis,
Quàm gaudeat, ſi iam prophanos
Aſpiciat poſuiſſe ritus,
Deſeruientem muneribus pijs?
Summo beatus conſilio pater
Quæ dempta Phœbo, priſco honori
Purpureæ Crucis arrogauit.
O, perge capta flos iuuenum via,
Exempla ſectari vſque domeſtica;
Contende, vt inprimis tuum ornent
Relligio, pietaſq; pectus.
Quæ conſequeris præmia, certa ſunt.
At florida ætas, dum tacito pede
Currit, mora nulla interim, te
Sollicitent, dubiumuè reddant.
Euris citatis hora fugacior:
Et quæ videntur tempora ſegnius
Labi, breui curſu, ad ſecundas
Te referent propere coronas.

MVTII RICCERII CAMERTIS.

IMmani transfert Obeliſcos pondere Sixtus,
Et locat in ſummo vertice ſigna Crucis.
Hinc Cæſar victor victus cœleſtibus armis
Con-

Concedens Chriſto pondera ſacra ſubit.
Et tandem ſæuis totum qui legibus Orbem
Preſſit, ſe patitur religione premi.

EIVSDEM.

CVr Obeliſce tuus noſtræ argumenta ſalutis
Geſtat, et ad cæli ſidera tollit apex?
Sedeq; poſthabita ueteri, nomenq; peroſus
Cæſaris, impoſitum deijcit orbis onus?
Scilicet humano diuinum Xyſtus honorem
Æneadum titulis prætulit arma Crucis.

EIVSDEM
Ode.

EN qua ſuperſtes (nec ſine numine)
Impune Moles exſtitit horridas
Inter ruinas: en ſuperbi
Romulidum monumenta faſtus.
Vides vt aſtris conſpicua Cruce
Altè refulgens intulerit caput:
Cælumq;, magni Atlantis inſtar,
Vertice ſuſtineat ſupremo.
Huic barbarorum exercitus inſolens
Olim pepercit, cum rabidus furor
Diris in Vrbem effuſus armis
Carceribus rueret recluſis:

Et hanc Jeſu tranſfuga perfidus
Suſpexit inſons, ſanguine Martyrum
Non auſus aſperſam immerentum
Sacrilega temerare dextra.
Romana donec relligio vt decus
Nomenq; ferret perpetuum; Deo
Salutis humanæ ſacrata
Erigeret monumenta Sixtus.

FERRANTIS DE TORRES.

SIxte, tui decoras dum ſancti limina Petri,
Conſpicuo imponis dum monumenta loco.
Jlle tibi in cœlo curat monumenta, mouere
Quæ nullis poterunt ſæcula temporibus.

IVLII ROSCII HORTINI
Epigramma.

AEgypti duris moles exciſa cauernis
Miranda in Latium per mare uecta rati,
Quæ ſacra Cæſaribus ſummo ſtetit æmula Cœlo
Ad Vaticani plena theatra iugi
Nunc ueteri dimota loco pro limine templi
Aurea, uictricem, tollit ad aſtra Crucem.
Strata ſuperſtitio uetus eſt, Regumq; profana
Nomina ſub Chriſti Relligione iacent.

Vni

Vni Xyſte tibi hoc debet pulcherrima Roma,
Per quem Sancta nouo fulget honore fides.

IO. PAVLI ZERLAE

IMmenſum Sixtus dum tollit in aera ſaxum
Quod ſacra ſuppoſitum fulciat arma Crucis,
Quam magis ille hominũ cupiet pia corda uolentũ
Ardua ſi cupiat ſaxa ſubeſſe Cruci?

CASTORIS DVRANTIS.

ECce Cruci excelſæ iam ſubijciuntur honores
Induperatorum munere Sixte tuo.

INCERTI.

ME locus, & Montes, Sidus, Crux, Sixtus honorant,
Cuſtoditq; vigil nocte dieq; leo.
Nomine clarus erã Auguſti, nũc Numine Chriſti.
Quis fuit in toto dignior orbe lapis?

DIE FESTO EXALTATIONIS S. CRVCIS.

INCERTI.

SAxum immane, ingẽs, caput inter nubila cõdit,
Sublimiq; ferit vertice ſumma poli.
Scilicet antiquo iam tempore inutile ſaxum,

Inſe-

Inferat ut cælo ſancta trophæa Crucis:
Stetq; ſupremus apex orbiq; orbiq; verendus,
Ut numquam fuerit crux meliore loco.
Exaltata trahit nunc crux ad ſe omnia: iure
Nunc exaltatæ feſta Crucis colimus.
Pontifici id Sixto debes Eccleſia: magnus
Quem pietatis amor grandia velle facit.

INCERTI.

VIrginis Auguſtus gremio conſidere Cæſar
Infantem vidit Solis in orbe Deum,
Tiberius paſſum voluit ſe Principe Chriſtum
Romanis inter numina magna coli.
Hinc titulos vtriuſque gerens Obeliſcus amica
Plurima de cælo ſæcula duxit ope:
Nunc Sixti nutu Quinti meliore locatus
Sede, triumphalem tollit ad aſtra Crucem.

PARACLITI FRANGIPANIS CARMEN AD XYSTVM V. PONT. MAX.

QVæ lapide ex vno Natura condita, & Arte
Faucibus vndantis Nili, Aegyptiq; remotis
Finibus, æquoreas fuit olim aducta per vndas
Tybridis ad ripas, & magna ad mœnia Romæ
Imperij moles monumentum inſigne vetuſti,
Pri-

Priſcorumq; decus clarum, & memorabile Regũ,
Vaticanum inter, Ianumq; obſcura latebat.
Temporis inuidia depreſſa, & cognita paucis,
Atque Aeuo tandem diuturno præda futura,
Et iam æquanda ſolo, poſt longa & ſæcula, tanta
Vix inter magnas Vrbis cernenda ruinas:
At verò Xyſti præclaro munere Quinti
Pontificis, quo non fuit vnquam iuſtior alter,
Inde, vbi tot luſtra, ac tot ſæcla infixa reſedit,
Atque immota adeò, vt fuerit nulla arte mouẽda,
Vi nulla, demum radicibus eruta ab imis
Illa foro in medio aereas erecta ſub auras
Conſpicienda nitet, celſaq; in ſede refulget,
Excedens altas ſublimi culmine turres,
Perpetuo manſura, & nulli obnoxia ſorti:
Nec iam Cæſareos cineres ſeruabit in vrna,
Quos ſtupet extinctos, miris & laudibus effert
Ignarum vulgus, ſolum mortalia quærens,
Admiransq; opera humana, & cæleſtia temnens:
Crux at in excelſo fulgebit vertice ſancta;
Gloria cælicolum, & noſtræ ſpes certa ſalutis,
Qua capita inferno contuſa fuere Draconi,
Qua barathri portæ confractæ, adapertaq; cæli
Ianua, qua nixus collabens conſtitit orbis.
Hinc quæ ſeptenis florens in collibus olim.

Mar-

Martia Roma diu viguit tot clara Triumphis
Succubuit demum, ac tantis concuſſa ruinis
Nunc læta & Felix Montem conſurgit, in Altum.
Atque ſibi antiquos reparari gaudet honores,
Et caput exultans ad lucida ſidera tollit.
Hæc tibi ſancte Pater debetur gloria laudis,
Quam ſibi fruſtra alij tentarunt quærere multi
Pontifices, ſolusq; tua virtute paraſti,
Qui velut alter Atlas fulcis graue põdus Olympi,
Sed manet interea rerum te gloria maior
Namq; tuis olim gentes populiq; rebelles
Deuicti auſpicijs veneranda ad limina Petri
Aduenient, pedibusq; tuis prona oſcula figent,
Diuinamq; vicem in terris te iure gerentem
Rite colent, legesq; tuas, ac iuſſa ſubibunt:
Nec modo ſub gelida qui Arcto, Cancroq; peruſto
Quiq; ſub Heſperio degunt ac ſidere Eoo,
Alterius ſed enim extremis è finibus orbis,
Vaſta per immenſi Oceani freta confluet ingens
Turba virum, populiq; ignoti ad littora noſtra
Accedent, ſacro & poſcent in fonte lauari
Vitali afflati Diuini Numinis Aura:
Mendacesq; Deos, quos iam coluere negantes
Trinũ vnumq; Deum, verũ, Aeternũq;, Potentẽq;
Eſſe fatebuntur, Qui verbo cuncta creauit,

Et

Et regit & ſeruat; Qui ob primi admiſſa Parentis
Perpetuis pœnis addictos faucibus Orci
Eripuit, noſq; ad cœleſtia Regna vocauit.
Denique ouile vnum fiet Paſtore ſub vno
Paſcuaq; ad ſummi æterna adducetur Olympi.

PHILIPPI POELARII BRVGENSIS FLANDRI.

ORdior è Phario tranſuectam dicere regno
Molem, quæ noſtræ victricia ſigna ſalutis
Impoſita, à Sixto geſtat, quà nobile templum
Exultat Petri, felicem ſaxea moles
Eſt ſortita locum, locus an felicior ipſa
Mole, ſacri culto memorant ceu carmine vates:
Sic mihi da Sixti canere immortale laborum
Muſa decus, meritò quem Petri in ſede locauit
Purpurea, ſancto pia corda mouente ſenatus
Flamine: da tanto recolam qui Principe ſecla
Aurea nunc rediere? ſepulta Aſtrea reuiſat
Vt latios fines? vt relligionis honores?
Verum fas aperire prius primordia molis
Nuncoreus pares cui Nile Seſoſtride nato
Intima dum magna rimatur viſcera matris,
Ogygias ornans Vrbes, tam nobile ſaxum
Pinguia quà Nilus fœcundis arua fluentis
Irrigat, & quà ſe centum ditiſſima Thebe

In lapide imperij pondus, & orbis onus.
Spectat opus, gaudetq́; Crucis Roma aucta triũpho
Et veteres Sixto Principe ridet opes.

ALIVD.

Aſpice vt immenſo moles ſe regia ſaxo
Tollit, & excelſum condit in aſtra caput?
Extulit hos Cœlo Romana potentia faſtus
Aemula naturæ, parq́; operata decus.
Non alia Rhodius ſurgebat mole coloſſus
Altaq́; Memphiti condita buſta manu.
Cæſaris hac cineres, vt ſidera Atlante, reguntur
Et minus eſt forſan Cæſare Atlantis onus.

IN EVNDEM.

Hic qui ſublimis ſe fert Obeliſcus ad auras
Cæſaris eſt magni Cæſare maius opus.
Nuper in obſcura latitabat parte, ruinis
Tectus, & aggeſta penè ſepultus humo.
Nunc Syſti imperio veteri reuocatus honori
Stat, celebri moles conſpicienda foro.
Cæſaris extat honos, ſed laus tua Syſte manebit
Tum quoq;, Cæſareus cum morietur honos.

HIERONYMI BADESII ROMANI
Ode.

Sol, qui per auras omnia deſpicis,
Currus equorum ſiſte volantium,

No-

Noſtraq; vexillum ſalutis
Sidereo venerare vultu.
Illud ſacrato vertice ſuſtinet
Auctore Sixto, quem tibi barbara
Aegyptus olim dedicauit,
Iam minitans Obeliſcus aſtris.
Sublime Sixti rebus in arduis,
Duriſq; pectus cedere neſcium,
Priſca reuulſam ſede molem
Rite foro in medio locauit.
Superba quondam Roma parentibus,
Iam luce functis, numinis hoc sui
Inſigne pignus conſecrauit,
Caſareos cumulans honores.
At nunc Olympo ſe Pharius lapis,
Se maior, infert, teq; beatior
Nunc te beat, dignatus alma
Dulce Crucis ſubiiſſe pondus,
Cui ſeruit Orbis; quam populus, memor
Lucis recepta, ſuppliciter colit:
Regeſq; terrarum potentes
Frontibus impoſuere ſummis.

IOANNIS FRANCISCI BORDINI.

A*Lta Syenita tibi Crux iam culmina ſaxi*
Cedunt, & Solis vana ſuperſtitio.

Caſa-

Cæſareum procul nomen, numenq́; faceſſit:
Te ſolam lætus nunc Obeliſcus amat.
Quin et ſublimes montes, fulgentiaq́; aſtra.
Exſuperas uictrix, ſub pedibusq́; tenes.
Sponte ſua fului ſubmittunt dorſa leones.
Sic montes ſubigis, ſidera, ſaxa, feras.
Scilicet vt, quæ olim exitium, probrumq́; parabas,
Nunc eadem cunctis vita, decusq́; fores.
Præſtitit hæc Felix, diuino munere, Xyſtus,
Cui ſummum eſt ſtudium ſubdere cuncta Cruci.

EIVSDEM.

In Columnam Cochlidem Antonini Pij.

PAuperis excelſas greſſus calcare Columnas
Cernis, Roma, tuas? iam domina orbis eris.

EIVSDEM.

In Columnam Cochlidem Traiani.

IMmeritum Pauli fundis tu Roma cruorem.
Ille tuum extinctus, poſſidet Imperium.

BALDVINI FELICIS.

LVx Stella, Montis culmen, roburq́; Leonis,
Conueniunt factis quàm bene Syxte tuis?
Latas Stella vias aperit; Leo tollit in altum
Vaſtũ obelũ; vndãtes Mons tibi fundit aquas.
Stella vias vitæ monſtrat; victricia fulcit
Signa Leo; fontes Mons ſuper aſtra iacit.

Irradias, recreas, releuas, humilem, aridũ, egenũ,
Splendide, magne, potens, gratia, honore, opibus.

ROGERII ODORISEI I.C. CARMEN.

EN ſacer Auguſtis Obeliſcus, vertice cuius
Deſuper aſſurgens æneus orbis erat.
Cæſareos poſuiſſe ferunt, monumentá perennis
Imperij proceres; Aurea Roma tibi:
Sed quoniam media ſtabat demerſus arena,
Squallebat cæcis abditus in tenebris:
Xyſtus & Auguſtis maior, quo Principe maius,
Nil Cyniphs, Tanais, Bethis, & Indus habẽt;
Effoſſum latebris, celſaq; in ſede locatum;
Erexit Petri nobiliore foro.
Tentatum priſcis, tamen inſuperabile viſum,
Hoc Xyſti virtus inclyta vicit opus.
Sublatis primis, Felicia ſigna reponit,
Et cumulat Montes, & ſuper aſtra Crucem.
Dum ſtabunt montes, dum ſidera paſcet Olympus,
Crux fuerit, Xyſti fama perennis erit?

EIVSDEM.

FElix ò moles, quam feliciſſimus ornat,
Et ſtatuit Princeps Principis ante forum:
Terra Giganteos non iactet Theſſala montes,
Aut onus Enceladi Sicelis Aethna ſui:
Iam tibi cedat Atlas, qui pondera geſſit Olympi,

Pon-

Pondera non illis inferiora geris.
Aſſurgatq́; tuo iam ſumma lucifer Ida,
Dentq́; Dionai Caſaris aſtra locum.
Vna es, qua Vaſti totius machina Mundi
Nititur; & Cœli culmina ſumma tenes;
Signaq́; tu Domini terra, cœliq́;, mariſq́;,
Qua magis exornant, tu geris alta Crucis.
Reddita maieſtas Roma eſt, operoſa reſurgunt
In Vaticano priſca trophaa foro.
Auſpicijsq́; ſuis reparat decora alta Quirini
Ter felix Xyſtus, ſceptra ſacrata gerens.
Aeternis hac Roma velis iam condere faſtis,
Principe pro tanto ſedula funde preces.
Felici Xyſto felicibus aſſonet ather
Vocibus, & vatum plaudat in orbe chorus?

EIVSDEM.

QVòd rurſus feriant Obelici culmina Cœlum
Vrbi interruptas quòd reuocarit aquas;
Cœlicolumq́; ades repararit; ſigna columnis
Fixerit hic Superùm, ſubdideritq́; Cruci;
Culpa pœna comes quòd ſit; quòd frana Tyrannis
Indiderit; pellat quòd procul Vrbe famem;
Quòdq́; indefeſſos irarum fregerit aſtus,
Atq́; Italas cades, ſollicitosq́; metus;
Nec mora, turbato felicia ſacula Mundo

Red-

Reddiderit ſtabilis pacis alumna, quies
Aeterni hæc ſpondent certiſsima ſigna decoris,
Aeternum nomen, quod ſuper aſtra ferent.
Arduà magnanimi qui ſpectas ſtēmata Xyſti,
Longè animo excelſo facta minora vides.
Annua tantarum ſunt hæc exordia rerum
Quod mirere magis maxima cœpta dabunt?

AD ALEXAND. MONTEALTVM CARD. IOANNIS TONSI ODE.

Vides, vt alto vertice montium
Ceu lapſa aperto ſtella reſederit
Cœlo, ſuperſtanteſq́; montes
Aerios lapidi ſuperbo?
Molem hanc, gigantum, non manus impia
Vetante ſtruxit numine cœlitum;
Vt excitata olim vſque ad ignes
Sidereos ruitura turris:
Sed magnus Atlas robore ſuſtinens
Virtutis orbem prouidus extulit;
Vt Crux ſuper ſtellam locata,
Perpetuo niteat decore.
Diffuſa latè, quæ radiantia
Splendore miro lumina cernimus,
Non ſtella, ſed Crux ſpargit, aſtris
Clarius æthereis refulgens.

Ægyptus omnis, cuius in intimo
Reciſus ingens eſt gremio lapis,
Quàm gaudeat, ſi iam prophanos
Aſpiciat poſuiſſe ritus,
Deſeruientem muneribus pijs?
Summo beatus conſilio pater
Quæ dempta Phœbo, priſco honori
Purpureæ Crucis arrogauit.
O, perge capta flos iuuenum via,
Exempla ſectari vſque domeſtica;
Contende, vt inprimis tuum ornent
Relligio, pietasq; pectus.
Quæ conſequeris præmia, certa ſunt.
At florida ætas, dum tacito pede
Currit, moræ nullæ interim, te
Sollicitent, dubiumuè reddant.
Euris citatis hora fugacior:
Et quæ videntur tempora ſegnius
Labi, breui curſu, ad ſecundas
Te referent propere coronas.

MVTII RICCERII CAMERTIS.

IMmani transfert Obeliſcos pondere Sixtus,
Et locat in ſummo vertice ſigna Crucis.
Hinc Cæſar victor victus cœleſtibus armis

Con-

Concedens Chriſto pondera ſacra ſubit.
Et tandem ſæuis totum qui legibus Orbem
Preſſit, ſe patitur religione premi.

EIVSDEM.

CVr Obeliſce tuus noſtra argumenta ſalutis
Geſtat, et ad cœli ſidera tollit apex?
Sedeq; poſthabita ueteri, nomenq; peroſus
Cæſaris, impoſitum deijcit orbis onus?
Scilicet humano diuinum Xyſtus honorem
Æneadum titulis prætulit arma Crucis.

EIVSDEM
Ode.

EN quæ ſuperſtes (nec ſine numine)
Impune Moles exſtitit horridas
Inter ruinas: en ſuperbi
Romulidum monumenta faſtus.
Vides ut aſtris conſpicua Cruce
Altè refulgens intulerit caput:
Cælumq;, magni Atlantis inſtar,
Vertice ſuſtineat ſupremo.
Huic barbarorum exercitus inſolens
Olim pepercit, cum rabidus furor
Diris in Vrbem effuſus armis
Carceribus rueret recluſis:

Et hanc Jeſu transfuga perfidus
Suſpexit inſons, ſanguine Martyrum
Non auſus aſperſam immerentum
Sacrilega temerare dextra,
Romana donec relligio vt decus
Nomenq; ferret perpetuum; Deo
Salutis humanæ ſacrata
Erigeret monumenta Sixtus.

FERRANTIS DE TORRES.

SIxte, tui decoras dum ſancti limina Petri,
Conſpicuo imponis dum monumenta loco.
Jlle tibi in cœlo curat monumenta, mouere
Quæ nullis poterunt ſæcula temporibus.

IVLII ROSCII HORTINI
Epigramma.

AEgypti duris moles exciſa cauernis
Miranda in Latium per mare uecta rati,
Quæ ſacra Cæſaribus ſummo ſtetit æmula Cœlo
Ad Vaticani plena theatra iugi
Nunc ueteri dimota loco pro limine templi
Aurea, uictricem, tollit ad aſtra Crucem.
Strata ſuperſtitio uetus eſt, Regumq; profana
Nomina ſub Chriſti Relligione iacent.

Vni Xyſte tibi hoc debet pulcherrima Roma,
Per quem Sancta nouo fulget honore fides.

IO. PAVLI ZERLAE.

IMmenſum Sixtus dum tollit in aera ſaxum
Quod ſacra ſuppoſitum fulciat arma Crucis,
Quam magis ille hominũ cupiet pia corda uolentũ
Ardua ſi cupiat ſaxa ſubeſſe Cruci?

CASTORIS DVRANTIS.

ECce Cruci excelſæ iam ſubijciuntur honores
Induperatorum munere Sixte tuo.

INCERTI.

ME locus, & Montes, Sidus, Crux, Sixtus honorant,
Cuſtoditq; vigil nocte, dieq; leo.
Nomine clarus erã Auguſti, nũc Numine Chriſti.
Quis fuit in toto dignior orbe lapis?

DIE FESTO EXALTATIONIS S. CRVCIS.

INCERTI.

SAxum immane, ingẽs, caput inter nubila cõdit,
Sublimiq; ferit vertice ſumma poli.
Scilicet antiquo iam tempore inutile ſaxum,

Inſe-

Inferat ut cælo ſancta trophæa Crucis:
Stetq; ſupremus apex orbiq; orbiq; verendus,
Ut numquam fuerit crux meliore loco.
Exaltata trahit nunc crux ad ſe omnia: iure
Nunc exaltatæ feſta Crucis colimus.
Pontifici id Sixto debes Eccleſia: magnus
Quem pietatis amor grandia velle facit.

INCERTI.

VIrginis Auguſtus gremio conſidere Cæſar
Infantem vidit Solis in orbe Deum,
Tiberius paſſum voluit ſe Principe Chriſtum
Romanis inter numina magna coli.
Hinc titulos vtriuſque gerens Obeliſcus amica
Plurima de cælo ſæcula duxit ope:
Nunc Sixti nutu Quinti meliore locatus
Sede, triumphalem tollit ad aſtra Crucem.

PARACLITI FRANGIPANIS CARMEN AD XYSTVM V. PONT. MAX.

QVæ lapide ex vno Natura condita, & Arte
Faucibus vndantis Nili, Aegyptiq; remotis
Finibus, æquoreas fuit olim aduecta per vndas
Tybridis ad ripas, & magnæ ad mœnia Romæ
Imperij moles, monumentum inſigne vetuſti,

Pri-

Priſcorumq; decus clarum, & memorabile Regũ,
Vaticanum inter, Janumq; obſcura latebat.
Temporis inuidia depreſſa, & cognita paucis,
Atque Aeuo tandem diuturno præda futura,
Et iam æquanda ſolo, poſt longa & ſæcula, tanta
Vix inter magnas Vrbis cernenda ruinas:
At verò Xyſti præclaro munere Quinti
Pontificis, quo non fuit vnquam iuſtior alter,
Inde, vbi tot luſtra, ac tot ſæcla infixa reſedit,
Atque immota adeò, vt fuerit nulla arte mouẽda,
Vi nulla, demum radicibus eruta ab imis
Illa foro in medio aereas erecta ſub auras
Conſpicienda nitet, celſaq; in ſede refulget,
Excedens altas ſublimi culmine turres,
Perpetuo manſura, & nulli obnoxia ſorti:
Nec iam Cæſareos cineres ſeruabit in vrna,
Quos ſtupet extinctos, miris & laudibus effert
Ignarum vulgus, ſolum mortalia quærens,
Admiransq; opera humana, & cœleſtia temnens:
Crux at in excelſo fulgebit vertice ſancta,
Gloria cœlicolum, & noſtra ſpes certa ſalutis,
Qua capita inferno contuſa fuere Draconi,
Qua barathri portæ confractæ, adapertaq; cœli
Ianua, qua nixus collabens conſtitit orbis.
Hinc quæ ſeptenis florens in collibus olim.

Mar-

Et regit & ſeruat, Qui ob primi admiſſa Parentis
Perpetuis pœnis addictos faucibus Orci
Eripuit, noſq; ad cœleſtia Regna vocauit.
Denique ouile vnum fiet Paſtore ſub vno
Paſcuaq; ad ſummi æterna adducetur Olympi.

PHILIPPI POELARII BRVGENSIS FLANDRI.

ORdior è Phario tranſuectam dicere regno
Molem, quæ noſtræ victricia ſigna ſalutis
Impoſita, à Sixto geſtat, quæ nobile templum
Exultat Petri, felicem ſaxea moles
Eſt ſortita locum, locus an felicior ipſa
Mole, ſacri culto memorant ceu carmine vates:
Sic mihi da Sixti canere immortale laborum
Muſa decus, meritò quem Petri in ſede locauit
Purpurea, ſancto pia corda mouente ſenatus
Flamine: da tanto recolam qui Principe ſecla
Aurea nunc rediere? ſepulta Aſtrea reuiſat
Vt latios fines? vt relligionis honores?
Verum fas aperire prius primordia molis
Nuncoreus pares cui Nile Seſoſtride nato
Intima dum magna rimatur viſcera matris,
Ogygias ornans Vrbes, tam nobile ſaxum
Pinguia quà Nilus fœcundis arua fluentis
Irrigat, & quà ſe centum ditiſſima Thebe

Et quid fatorum longus connecteret ordo,
Machina dum celſa de rupe exciditur, alta
Vrbis turrita decoret qua mœnia Solis,
Macte viri dixit moles qua ſtabit in Vrbe
Exeret vna caput, mittens trans æquora claſſes
Immenſum figetq; minantia ſigna per orbem,
Principis ornabit quærentem iurgia circum.
Circus at in cineres vt vix veſtigia cernas,
Vertetur, tandem hic ædes ſanctiſſima ſurget
Diuo, cui reſerare poli, cui claudere verbo
Auratas dabitur portas, dare iura per orbem
Regia qui poſſit, qui à petra nomen habebit.
Linigeri riſere viri, ſiſtrataque turba,
Et magnis vanum ſtudijs auxere laborem.
Hinc moles ſola eſt primo molimine fracta.
Dixerat, euenit tandem labentibus annis,
Cæſaris Auguſti victus cum Antonius armis
Occideret, Nili validis & colla catenis
Necteret, & domini fugeret Cleopatra triumphū,
Ingemeret Babylon latis ſpoliata trophæis,
Saxea vt Auſoniam ferretur machina Romam
Cæſaris indignata ſequi per cerula palmas,
Sperauitq; nouo tandem dare nomina Ponto,
Nominis Icarijs vt fluctibus Icarus auctor,
Vel pelago nomen ceu flebilis abſtulit Helle.

Terrentes nautas flammæ, concuſſa timore
Corda virùm, ſubito viſus componere fluctus
Neptunus, pauidum & depellere corde timorem.
Interea Ioniis ardentem fluctibus Aetnam
Conſpexit, piceo & fumantem turbine vector,
Oſtenditq; ſuis ſociis, aperitq; futura.
Cernitis excelſi vt nudata cacumine montis
In ventos abeunt: ſic lati climata mundi
In flammas conuerſa ruent, ſic cuncta peribunt,
Iamq; datis linquit ventis proiecta Pachini
Saxa ratis, ſuperant remis vulcanida terram:
Hinc ſe ſe monſtrat ſaxis albentibus Anxur
Impoſitum, capiuntq; ſudes vbi fuluus arena
In mare prorumpit Tybris, molemq; petitam
Impenſa ingenti, quæ teſtatura triumphos
Cæſaris, vt vidit Tybris caput extulit vnda,
Inſuetum teneris onus & circumligat vlnis.
Tanta molis erat ſaxum deducere in Vrbem.
Cæruleis vbi vecta fretis iam puppis in alta
Mœnia Nuncoreos vexit molimina regis
Saxa Auguſte tuas virides teſtantia lauros
In ripa iacuere diu, dum Caius in Vrbe
Horrida conſtruxit miſcentem prælia Circum
Nuncoreosq; opus affigens in vertice Iuli
Qui ſeruet cineres orbem, ſtatuitq; Obeliſcum
In

In medio Circi, hunc tetigit victoria pennis
Plurima, nam raucus, per plurima ſæcula circus
Durauit, ſummo tangit quod vertice cælum
Spectandum in circo ſaxum ſtetit, omnia donec
Negligeret veterum Saturnia Roma trophæa
Induperatorum; Pariis ſuffulta columnis
Porticus euerſa eſt, fregitq́; theatra vetuſtas,
Circus & in nihilum Caii eſt collapſus, & ædes
Clauigero eſt extructa Petro, cui ſubditur orbis;
Aedes quâ totus verè nil ſanctius vſquam
Orbis habet, roſeo nam limina tincta cruore
Chriſtiadum, Chriſti hic viuus ſub imagine vultus
Haſtaq́; quæ infeſta perfodit cuſpide Chriſtum
Dum peragit noſtræ myſteria ſacra ſalutis.
Ipſa alios olim iactabat Roma Obeliſcos,
Hunc præter cecidere tamen Mars ferreus Vrbē
Affecit clade horribili dum ſæuit in armis,
Romanos latè ſpolians cultoribus agros:
Et monumenta Ducum fracti interiere Coloſſi.
Quicquid & externis Romanus victor ab oris
Vexit ouans patriæq; Vrbi conceſſit habendum
Hinc etiam paſſa eſt ingentes Roma ruinas,
Sæuit in Auſonios vbi trux Germania campos,
Miles qui imbiberat ſæui documenta Lutheri
Votiuas furiis accenſus diripit aras.

Bor-

Borbonio ductore, nefas ſed morte piauit.
Summo ſacra Deo templa impius abſtulit ignis
Manſit ſola alto moles abſcondita Diui
Templo ſub Petri, ſacratior area ſaxo
Nunc tollit caput, & pretioſo munere Sixti
Pontificis gaudet, gaudet quoque ſaxea moles
Sede ſua, tali eſt ter felix area mole,
Quod ſacra dum ſacrũ munus tenet, ipſa meretur
Area pacato vt fiat ſpectatior orbi.
Aurati fulgent molis quod vertice montes
Et ſtella auratis in montibus aurea fulget,
Exultans noſtræ felicia ſigna ſalutis
Oſtentare Crucem, Satanæ, qua diruta regna
Munere Sixte tuo eſt auguſtior area, per te
Saxea venturo moles celebrabitur æuo.
O mihi donaret ſacro de fonte liquores
Haurire, Aonio meditari & carmina plectro
Phœbus, Sixte tuas memorarem carmine laudes:
Monſtrarem triplici merito tibi cincta corona
Tempora, candenti ſtructũ quod marmore templũ,
Qua Chriſti veneranda Dei præſepia adoras.
Commemorem pulſamq; famem, cerealia dona
Jn populum diffuſa, tibi dum commoda curæ
Sunt gregis; irriguis præbes de fontibus vndas
Montibus & valles, & montes vallibus aquas.

Extincto paſſim cantat latrone viator:
Nam veluti tenero lupus inſidiatus ouili
Clara vbi puniceo tenebras Tithonia amictu
Expellit, vacuis infrendens dentibus iras,
Antra petit nemorūq; vmbris ſe horrētibus abdit:
Sic dominam ſæuus liquit ſicarius Vrbem
In ſua conuertens impi ouida pectora ferrum.
His tibi pro meritis puras ſpectantia mentes
Numina digna ferant virtuti & præmia tanta,
Lætaq; Sixte boni qui te genuere parentes,
Roma diem poſcit niueo ſignare lapillo.
Adſcribatq; lubens ſacratæ hæc carmina moli.
Sixtus præclaris ad candida ſidera factis,
A teneris virtus quem præſtans extulit annis,
Ingentem hanc molem ſacrata in ſede locauit.
Et ſi qua maiora tuo cum corde volutas
Venturis eadem moles teſtabitur annis.

PETRI ANGELII BARGAEI OBELISCVS
AD XYSTVM V. PONT. MAX.

CEntenum fueram cubitorū Obeliſcus, ad Vrbē
Cum veherer vaſta per freta vaſta rate.
Mox geminas, circi iam iamq; in ſede locandus,
In partes iacui dimidiatus humi,
Et quamquā artificū Cæſar multa arte refectū

L Extu-

Extulit, aurato ſuppoſuitq; globo,
Conſcius ipſe mihi tamen, illa in ſede latebam,
In qua ruderibus penè ſepultus eram.
Sed, poſtquam eduxit Cœlis Sx. Xyſtus in oras,
Meq; meo voluit vertice ferre Crucem,
Ipſe mihi videor duplo ſublimior eſſe;
Quàm cum me ſtatuit Solis in Vrbe Phero.
Gratia magna tibi, Pater, ò ſanctiſsime, quando
Eſſe, tuum quod ſit, nil niſi grande poteſt.

EIVSDEM AD EVNDEM.

LAtronum paulo ante vias inſederat omnes
Terrorem incutiens mortis iniqua manus.
Nec iam parietibus quiſquam, nec mœnibus vllis
Tutari qui ſe, vel ſua poſſet, erat.
Quando etiam in media iugulari vidimus Urbe
Sæpe aliquem, & multa cæde madere domos.
Nunc autem è manibus ſicæ cecidere cruentis,
Et, quacumque libet pergere, tuta via eſt.
Iuſtitiæ patet vſque locus: Vis exulat omnis:
Atque illibatas pax alit Urbis opes.
Vnde igitur rerum facies mutata? venitq;
E tenebris tantis orta repente dies?
Maximus immenſum Xyſtus regit arbiter orbem,
Atque vnus recti cuncta gubernat amor.

San-

Sancte Pater, ſic vſque tuo Res publica ductu
Floreat, & nullas ſentiat illa vices,
Viue diu Felix, poſtquam te principe merces
Certa bonis pra[illegible], & rata pœna malis.

TY[illegible]GRAPHVS AD LECTOREM.

NOn potuit primus tribui locus omnibus: & ſi
Digni omnes, primi qui legerentur, erant.

F I N I S.

REGESTVM
Carm. diuerſorum Auctorum.

A B C D E F G H I K L.

Omnia folia, L dimidium folij.

R O M Æ,
Ex Typographia Bartholomæi Bonfadini.
M. D. L X X X V I I.

Digitized by Google